FLORES SENTENTIARUM

In amœnissimo Paradisi Blosiani

HORTO,

SEV

Ex Opusculis,

LVDOVICI BLOSII,

ABBATIS LÆTIENSIS

decerpti.

Ad odorandum Pusillanimitate, Scrupulis, & desperatione laborantibus, rectioris vitæ instituendæ causa porrecti,

Et per alphabeti literas ordine distincti.

ANNO

Supra Millesimum Septingentesimum Quarto.

CRACOVIÆ, Typis ACADEMICIS.

AD LECTOREM.

FLores fragrantissimos, non ex voluptarij Alcinoi Hortis: nec ex avari Midæ roseto; pratisq; Elyseis; sed in amœnissimo Paradisi Spiritualis Viridario decerptos, ac in unum libelli hujus fasciculum collectos tibi ad odorandum fero, Lector benevole. Flores inquam gratum spirantes odorem. & qui nunquam flaccescunt, sed semper virescunt, ex Horto Ludovici Blosij, Abbatis Lætiensis, Viri; tum pietate, tum Natalium splendore præstantissimi; ac in omni disciplinarum genere exercitatissimi. sublimi doctrinâ, exculto: præcipuas nempe Sententias, ex Cedro dignis ejus lucubrationibus excerptas profero; non ut corporeos recreent oculos,

ſed ut odore, ac ſuavitate cæleſti, languentium in pietate reficiant animos. In Hortum hunc liber unicuiq; patet ingreſſus: ibiq; per varias Sacræ Scripturæ artificiosè diſtinctas areolas ſpatiari, omnis libertas: Vbi videre eſt, albicantia puritatis Angelicæ Lilia: rubentes ardentis charitatis Roſas: cæruleos Contemplationis cæleſtis Hyacinthos; purpureos finalis perſeverantiæ caryophyllos: ſubrubicundas profundæ Humilitatis Violas: ſacræ pœnitentiæ, & contritionis eliciendæ Nardos odoriferas, omnigenoſq; tum coloris, tum odoris, præſtanſtantiſſimos virtutum flores: eoſq; non ſolum videre, ſed & decerpere, naribus admovere, ac de illis cæleſtes coronas texere, licet. Hoc in venuſtiſſimo Paradiſi-Horto; & inordinatâ animi dejectione ac puſillanimitate mæſti, optatam ſui Conſolationem: &

ſuper-

superfluis Conscientiæ scrupulis involuti, desideratam mentis tranquillitatem: & perplexâ vitiosâq; diffidentiâ agitati, stabilem in misericordia DEI corroborationem, adinvenient; necnon aliis diversis medendis animorum morbis, efficacissimas quisq; pro modulo suo affatim colliget herbas. Sed manum de tabula, ego. Habes Lector Amice, hoc in libello vix non totam cœlestem Blosij doctrinam, ad varias quæstiunculas ex prolixioribus Opusculis ejus, ordine alphabetico in epitomem redactam: quam, si attento legeris animo (ut verbis cujusdam loquar) mel in ore, melos in aure, & jubilum senties in corde. Utere, boniq; consule.

APPRO-

APPROBATIO.

SEntentias ex Operibus Ludovici Blosij Abbatis Lætiensis *selecte collectas, vidi & legi, & uti perutiles, ad resolvendos pusillanimitatis ac desperationis, aliorumq; dubiorum scrupulos, ut typo mandentur, facultatem dedi. Datum in Collegio Maiori Academiæ Cracoviensis, die 18. Februarij, Anno Domini, 1704.*

M. PETRVS PRACZLEWIC,
S. Th: Doct: & Profes. Ecclesiæ S. Floriani ad Crac: Decanus, & in Diecæsi Cracov: Librorum Censor. mpp

SEN-

FLORES SENTENTIARUM;
LUDOVICI BLOSIJ, ABBATIS LÆTIENSIS.

Per ordinem Alphabeti distincti.

ADVERSA, OMNIA DE MANU DEI.

SI DEO permittēte, tantas tenebras tantamq; ariditatē, duritiem & instabilitatem, intus sentis; ut tibi videaris prorsus à Deo derelictus esse: si tam diris animi angoribus premeris, ut putes te infernales cruciatus perpeti: Si molestissimæ jugesq; tentationes te divexant, ut vitia, quæ jam in te extincta credebas, rursum ma-

Gwalle Vigrenus

gno impetu exurgunt, ac te impugnant: si non solùm homines, verùm etiam qui boni habentur, quiq; tibi maximè fideles esse debuerunt, te persequuntur, & maledictis atq; obtrectationibus fatigant, variisq; injuriis afficiunt: si damna rerum, & purulenta ulcera, morbosq; inauditos cum Job sustines: si corporali cæcitate cum Tobia, & gravissimâ paupertate cum mendico Lazaro affligeris: si deniq; aliud quidpiam adversi pateris? Qualecunq; illud sit, non aliundè id accipias, quàm de manu benignissimi Dei, qui ex amore & pro tua salute, tribulationibus te exerceri sinit. *Quidam Scriptor citatus à Blosio in Consolatione Pusillanimium.*

Item.

QVælibet adversa tam interna, quàm externa de manu Dei suscipe non aliundè, etiamsi culpâ tuâ accidant, aut à creaturis inferantur. Tu illa humili resignatoq; animo ad finem

finem usq; propter Deum tolera: certò credens, & optimum & saluti tuæ convenientissimum esse, quidquid ipse Deus tibi evenire permittit. *In Tabella Spirituali.*

Item.

Adversa frequentèr immittuntur à miserante Deo, quibus nos vel purget à malis admissis, vel retrahat ab admittendis, aut virtutis exercendæ materiam subministrat. *In Consolat: Pusill. In præclaris Dictis de Dei misericordia.*

Omnia fiunt permittente Deo.

QVandocunq; molestum, aut acerbum quidpiam à Creaturis tibi infertur: mox converte oculos ad Creatorem, Patremq; tuum cælestem; qui hoc ex amore pro tui utilitate permittit. Illum attende potiùs; quàm creaturas, quæ tribulationem inferunt. Hæ enim tanquam instrumenta, & secures, atq; asciæ sunt,

quibus summus ille artifex utitur sicut vult, & sicut Electis suis utile novit. *In speculo Spirituali. cap: 3.*

Item.

Neq; Cælum, neq; terra, neq; alia Elementa, neq; homines, neq; visibilia, neq; invisibilia nos ullo modo lædere vel affligere possunt, nisi Deus permittat. Nullus morbus, nullum damnum, nulla prorsus incommoditas, nos contingere valet, absq; ejus permissione. *In Enchir. Spiritual: lib: 1. In Append. Documenti 2di.*

Adversa sunt signa dilectionis Dei.

SI Spirituali cognitione, sensibiliq; devotione subtractâ, sentis te obtenebratum, tardum, frigidum, aridum, inopem, & velut à Deo derelictum atq; projectum: si animi mærore & gravibus pressuris plerumq; corriperis: si quamdiu vivis metu atq; angore implicaris: si diris tentationibus, variisq; vitiorum impulsibus

bus vehementèr impeteris: si diuturnis doloribus & morbis, aut etiam morte amicorum, aut damnis rerum, molestissimisq; persecutionibus hominum exercetis; non propterea despondeas animum, nec inordinatè turberis: sed per ista agnosce dulcissimam Dei fidelitatem & benignitatem erga te. *In Tabell: Spirituali.*

Item.

Quem Deus donis potioribus exornare, sublimitèrq; transformare decrevit, eum non blandè, & mollitèr lavare sed totum in mare amaritudinis immergere consuevit. *In Institutione Spirituali. cap: 8.*

Item.

Si permittit te Deus tribulationibus, persecutionibus, angustiis; ariditate obscuritateq; mentis, infirmitate corporis, vel quolibet alio gravamine premi: persvasissimum habe, cum hoc facere ex pura charita-

te pro salute animæ tuæ. *In Scriniolo Spirituali. In brevi & absoluta Doctrina.*

Sunt signa Electionis Dei.

ADversitas tàm Spiritualis, quàm corporalis, quæ patienti & benignâ mente propter Deum sustinetur, verum præclarumq; indicium est Electionis Divinæ, ac veluti pignus adoptionis, seu annulus dignissimus illius desponsationis, quâ anima efficitur, filia, Amica, & Sponsa Altissimi. *In Enchirid: Parvul. In Appen: Documenti 2di.*

Item.

Tribulationes in hac vita præclarissima dona Dei sunt, & non est ullum certius signum Divinæ Electionis, quàm si quis adversa humilitèr ac resignato animo propter Deum toleret. *In specul: Spirit: cap: 8.*

Item.

Nullum certius signum Divinæ Ele-

Electionis habetur, quàm si quis tribulationem humilitèr patientèrq; propter Dei amorem sustineat. Illa enim est preciosus & præclarus annulus quo Deus animam sibi desponsat. *In Institutione Spirit. cap. 8.*

Item.

Afflictio tam Spiritualis, quàm corporalis amore Dei patientèr perlata, res est admodum præclara & amabile signum Electionis Divinæ. *In Tabell: Spirit.*

Adversa tolerata pro Deo, præstantiora sunt bonis operibus.

PAti pro Deo, res tantæ dignitatis est, ut homo jure se reputare debeat indignum eo honore. Etiam exigua molestia propter Deum æquanimitèr tolerata, incomparabiliter præstantior est, quàm sint multa & grandia bonorum operum exercitia. *In Instit: Spiril. cap. 8.*

Item.

Homini utilius est, etiam modicum gravamen patienter pro Dei honore vel amore perferre, quàm grandia opera patrare. *In Specul. Spirituali. cap: 8.*

Adversa, immissa à Deo, securiùs tolerantur, propriis afflictationibus.

EA crux & afflictio, quam Deus homini imponit, multò securiùs portatur, illâ, quam homo ex propria voluntate assumit. *In speculo Spirituali, cap: 5.*

Adversa ferenda ex motivo Passionis Christi Domini.

QVando consideramus tribulationes & afflictiones Sanctorum ac maximè Passionem Domini nostri Jesu Christi, omnis solatii expertem, mortemq; ignominiosissimã, & durissimum cruciatum, qualem nemo unquam expertus est, attentè perspicientes,

entes, quæ & quanta majestas illa pro nobis perpessa est: mirum est, si vel gravissima quæq; tormenta, pro illius amore pati recusamus. *In Dictis Patrum. cap: 12. ex Rusbrochio.*

Inæstimabilis meriti est pati, in unione Passionis Christi Domini.

TRibulationes ac pœnas tuas omnes, tam parvas, quàm magnas Passioni, sive cruciatibus Christi conjunctas unitasq; devota mente offer Deo in laudem æternam: sic enim erunt inæstimabilis meriti, & summè Deo placebunt. *In Speculo Spirituali. cap: 8.*

Adversis, Deus hominem mirabilitèr perficit.

IPse Deus, aliquos quidem ex Electis suis in hac vita blandimentis fovet, ac cælesti lumine illustrat, & mirificè afficit atq; lætificat: sed plurimos per iter asperum deducens, permittit gravibus tribulationibus

exerceri: atrocibus angoribus arctari: diutino mærore premi: Spiritualis svavitatis gustu destitui: sensus obtenebratione confundi, molesta animi dormitatione deiici: miserabili mentis distractione affligi: fœdis imaginibus, lascivis motibus, obscœnis somniis, dolendaq; humoris carnem polluentis proluvie fatigari, usq; eò vehementiùs plerumq; atq; importuniùs, quô tempora sacratiora, seu solennitates digniores occurrunt, adeò, ut eos, quos aliquando gloriosissimè coronaturus est in cælis, jam dese-rere ac proiicere, eorumq; sanctis studiis atq; conatibus obsistere videatur: sed non deserit eos, nec abiicit. Verùm salutem eorum mirâ dispensatione, & incomprehensibili consilio, ineffabiliq; charitate, inter hujusmodi calamitates promovet. Novit enim quid cuique expediat. *In Enchiridio Parvul. In Append: Documenti 2di.*

Ad.

Adversa tolerantes, mirabiliter præmiat Deus.

QVi Deo permittente, agros, facultates, domosq; suas perdidit: si exemplo B. Job, hanc rerum jacturam humili resignatoq; animo, de manu Dei accipit, & ei gratias agit, eumq; laudat, qui prohibere potuit, & non prohibuit: tantam ab ipso Domino mercedem percipiet (ut quidam Sanctorum ait) quantam reciperet, si omnia illa quæ perdidit, egenis ac pauperibus propter Deum erogasset. *In Dictu Patrum cap: 12. Rusbrochius.*

Ideoq; patientèr ferenda.

OMnia adversa patientèr suscipe tanquam pretiosissima xenia à Deo transmissa: sive è Cælo, sive ab Elementis, sive à diabolo, sive ab adversariis, sive à satanicæ artis Magistro, sive à feris ea emerserunt. *In Canon. vitæ Spiritual. cap: 9.*

Item.

Item.

Licet insidientur Dæmones, & tentationum laqueos præparent, licet virtutis justitiæq; iter laboriosum invenias, licet iste obtrectet, & ille premat, licet frigus incurvet, & æstus urat, licet stomachus debilis sit & caput doleat, licet ingrediatur putredo in ossibus tuis, & caro tua vermibus scateat, licet spiritus tædio affectus dormitet, internoq; gelu constringatur: tu patientiam ubiq; servare memineris. *In Canone vitæ Spiritualis cap. 9.*

Ferenda nec ulciscenda.

QVidquid à quovis patiaris, feras æquanimiter, & nec foris, neq; intus, nec verbis, nec factis, nec voluntate te ulciscaris: & vivet in te Spiritus Domini Jesu, & omnium Sanctorum ejus, qui etiam hostes suos, ad mortem usq; complexi sunt. *In Farrag. Institutionum.*

Feren-

Ferenda loco mortificationis.

CVm animi nostri tepor non admittat, ut carnem nostram durè tractemus: cupiamus saltèm & voluntate acceptemus vilipensionem & persecutionem, quæ nobis ab aliis infertur. *In Dictis Patrum cap. 10. ex D. Alphonso Madriliensi.*

Item.

Si maximæ felicitatis esse putatur, incidisse in chirurgum, qui corporis nostri curet vulnera (licet id non faciat sine acerbis punctionibus medullam ipsius animæ gravissimè cruciantibus) certum est longè felicius esse, incidisse in ejus societatem, qui prætèr rationem malè nos excipiat. *Ibidem ut supra ex Alphonso.*

Ferenda loco Purgatorii.

OMnis afflictio, & amaritudo patientèr loco Purgatorii toleranda est. Anima enim verè pura & resignata, mox ubi corpore egredítur

tur ad Regni cælestis palatium evolat. *In Farrag: Instit: sub titulo: Hæc notatu digna sunt.*

Ferenda loco inferni.

MEminisse debes, te innumeris enormibusq; peccatis supplicia commeruisse inferni. Sed Deum Clementissimum tibi pepercisse, teq; perdere noluisse. Unde justissimum est, ut tu molesta quæq; æquanimiter & sine impatienti murmuratione, ac verborum asperitate, aut mordacitate vel exprobratione, & sine multis ineptisq; querimoniis perferas, etiamsi Creaturæ omnes, Deo permitente, graviùs te affligant atq; persequantur. *In Tabella Spirit.*

In adversis quomodo procedendum ex Christi Doctrina. Christus alloquitur animam pœnitentem.

QVando aliquis tibi molestus est, & injuriam contumeliamve irrogat, tu eum, meo jussu tibi mole-

stum

ſtum eſſe, arbitrare. Non adverſus illum iraſcaris, non aſpera & amara verba proferas, neq; de ultione cogites. Imo nec hominem (qui inſtrumentum & flagellum meum eſt) ſed me, qui hominem talia fieri permitto, attende. Itaq; in quibuslibet tribulationibus & doloribus humiliare, & patientiam retine, teq; mihi reſigna. *In Conſol. Puſill. In Interna Allocutione Chriſti.*

AMOR DEI, ERGA HOMINES.

Eſt Duplex.

DVplex eſt Dei ad homines amor: quorum alterum quodam modo Meritum, alterum Immeritum dicere poſſumus.

Meritus ille eſt, quem bonis operibus, virtutum exercitatione præce-

pto-

prorumq; Dei, & Christi consiliorum observatione conciliare nobis, & possumus & debemus.

Immeritum verò illum, quem Deus gratuitum prorsus ab omni æternitate ex sua natura ad nos habuit, quem sanè meriti non sumus. Et quidem ipse meritus amor quo Deus nos, ob sibi exhibitam veram dilectionem complectitur, tam infinitus ac vehemens est, ut non intellectum modò, sed & omne desiderium hominis superet.

Jam quoad alterum illum Immeritum, naturalem, gratuitum Dei erga nos amorem attinet; sicut certi sumus esse Deum, nos à Deo esse conditos, ita de immerita ejus ad nos dilectione, & charitate dubitare non possumus. *In Dictis Patrũ cap. 1.*

Et hic immensus erga hominem.

TAm ardens, & incontinens est Dei erga nos amor, ut si mors & Passio Christi ad salvandum hominem

minem non suffecissent; etiam Pater cælestis, & Spiritus Sanctus humanam assumpsissent naturam, ac pro homine mortem subiissent, quàm eum perire sivissent. *In Append. Explicationis Passionis Dominicæ.*

Item.

Benignissimus Jesus, erga quamlibet animam peccatricem pænitentem, non aliter amore vulneratus est, quàm Mater fidissima erga charissimum Filium suum, aliquando deperditum, sed recuperatum. Qui quidem dulcis Dominus, quando ab anima in peccatis sceleribusq; suis remanente, & se se corrigere nolente, recedit; tàm invitus hoc facit, ut si id ipsa cerneret, medullitùs compateretur tam pio Patri & Domino suo. *In Dictu Patrum. cap: 1.*

Item.

Christus Sanctæ Birgittæ dixit lib: 7. Revel: cap: 10.

Dilectio mea erga hominem, modo

do æquè grandis, atq; incomprehensibilis est, sicut erat tempore Passionis meæ: quando per mortem meam ex nimia charitate liberavi omnes Electos. Et si fieri posset, ut toties morerer, quot sunt animæ in inferno, ego promptissimâ voluntate, & perfectissimâ charitate; corpus meum traderem, eandemq; Passionem & mortem pro qualibet anima sustinerem, quam sustinui pro omnibus. *In Monili Spiril: cap: 1.*

Amor Dei erga hominem incomparabilis.

SI omnium Matrum amor, fides, & benevolentia, in unius alicujus genitricis pectus erga unicum natum suum cogeretur: tametsi illa vehementissimè & temporariam, & æternam Filii sui non posset non cupere vitam & salutem: nec sic tamen tantus hic Matris erga filium suum amor, fides, & benevolentia, posset aliqua ex parte æquiparari dilectioni

ni, benevolentiæ, quam Deus Pater & Filius & Spiritus Sanctus, gerit erga cujuslibet hominis temporariam æternamq; salutem. *In Dictis Patrum. cap: 2.*

Item.

Indubitatum apud unumquemq; esse debet, nullam unquam licet indulgentissimam genitricem usq; adeo unici dilectissimiq; filii sui damnum & interitum doluisse; ut benignissimus Deus perditionem cujuscunq; hominis: ut potè quem tam præclarè ad imaginem & similitudinem suam condidit, ac tanti fecit, tantoq; in pretio & honore habuit, ut illius causâ nec unico charissimoq; Filio suo pepercerit, sed hunc in acerbissimam & maximè ignominiosam mortem tradiderit, idq; tanto amoris ardore & intemperantiâ, ut si non nisi unus fuisset redimendus homo, eundem ipsum ea ratione procul dubio fuerit liberaturus. *In Dictis Patrum. cap: 2.*

Item.

Si cum amore, quo Deus nos diligit, conferatur amor, quem omnes unquam parentes habuerunt, habent, & habituri sunt erga filios suos: erit velut aquæ guttula, cum vastissimo mari comparata. *In Spec: Spirit. cap: 9.*

Deus magis amat hominem quàm se ipsum homo.

CRede inconcussa fide; Dominum Deum tuum magis amare te, quàm tu te ames, & diligentiorem curam tui habere, quàm ipse habeas, aut habere possis: Confide in eo plenissimè, & omnia divinæ ejus providentiæ sine aliqua hæsitatione committens, & omnem solicitudinem tuam in eum proiiciens. *In Scriniolo Spirituali.*

AMOR

AMOR HOMINIS, ERGA DEUM.

Quomodo amandus Deus.

DEsidera, ut possis Deum perfectè pro grata voluntate ipsius amare, quòd si non sentis in te desiderium; saltim desidera habere desiderium, dicendo. Bone JESU, ego te toto corde diligere debeo & cupio: tu pro me supplere digneris, quidquid ardentis desiderii & amoris mihi deest. *In Speculo Spirit. cap:* 4.

Item.

Si non potes ardentèr diligere Deum; dilige ut potes, & quemadmodum ipse gratiam donare dignatur. *Ibidem ut supra.*

Amoris veri erga Deum, signa.

SCito certum indicium verissimi amoris esse, si æquè Deum diligis,

gis, dùm se asperum exhibet, sicut dum se præbet suavem: ac voluntatem tuam voluntati illius, tam in amaris, quàm in dulcibus humilitèr resignas & permittis. *In Tabella Spirituali.*

Item.

Is verè Deum diligit, cui ipse Deus est, id, quod est: cui cælestia sapiunt, terrena desipiunt: qui sensus suos exteriores concludere, & interiores ab omnibus rebus expedire, viresq; omnes Deo applicare novit. *In Institutione Spirit. cap. 5.*

Item.

Qui Deum ferventèr amat, necesse est ut eum crebrò in memoria habeat: quemadmodum qui acriter sitit, non potest non recordari sitis suæ. Vbi enim cura & amor, ibi cogitatio. Rursum, qui Deum amat, non elongatur ab amore & gratia Dei etiamsi dormiat, & de Deo nihil cogitet. *In Append: Tabellæ Spiritualis.*

Qui

Qui diligit Deum, filius Dei est.

SI Deum diligis; si bonæ voluntatis es; etiam tu ex numero filiorum Dei es. Jam si es filius, quantumvis sis parvus, eris & hæres. Quid enim? num Dominus magnos filios suos ad regnum admissurus est, & parvos exclusurus? Nequaquam, sed quicunq; sunt ejus, id est, quicunq; charitate insigniti apparent, dum hinc emigrant licet perfectam charitatem non habeant, salvi erunt: & aliquando gaudiis cæli perfruentur. *In Canone vitæ Spirit. cap: 33.*

Amor erga Deum, præstat austeritati vitæ.

INusitatam vitæ austeritatem ne amplexeris: sicut plerosq; Sanctos vitam multò rigidam duxisse cognoscas. Cilicium, durities lecti, esus panis, potus aquæ, flagellatio corporis, & similia pro Dei honore purè peracta, ipsi quidem Deo placent, & ad

carnem edomandam robustis juvenibusq́; non parum prosunt. Verum tamen verus Dei amor hominem multò viciniùs Deo conjungit, & carnis petulantiam citiùs efficaciusq́; compescit ac superat. *In Institutione Spir. cap: 2.*

Amor Intellectualis praestat sensibili.

NOn angamur, si nobis deest sensibilis devotio, sensibilisq́; amor: si item desunt lachrymae exteriores, sed hoc unusquisq́; curet, ut per rationalem sive intellectualem amorem, nempe per bonam voluntatem Deo semper unitus sit, & beneplacitum Dei pro summo solatio habeat. *In Instituti-one Spirituali, cap: 7.*

ANGELUS,

Angeli pulchritudo.

SI videres Sanctorum Angelorum pulchritudinem sicuti est, cor tuum prae ingenti gaudio rumpere-

peretur. *Christus ad S. Birgittam dixit Blosius in Monil. Spirit. cap. 14.*

Angeli agilitas.

TAnta est Angeli agilitas & pernicitas, ut celeriùs moveatur atq; transeat quàm fulgur emicet. *In Enchir: Parvul. lib: 2. Cap. 12.*

Angeli non sunt ubiq;, sed ubiq; vident Deum.

ANgeli ita alibi sunt, ut alibi non sint. Solus enim Deus ubiq; est. Si Angelus in cælo est; in terra simul non est. Quando autem in terra Angelus est, aut ad externa administranda mittitur; non ob id minùs fruitur jugi visione Dei, quàm si in cælo esset. *In Enchir: Parvul: lib: 2. cap: 12.*

Angeli an omnia videant in Deo?

SAncti Angeli, Sanctæq; animæ in cælum receptæ vident quidem Deum sicuti est, & cognoscunt eum

pro suo captu graduq; : non tamen prorsus ipsum Dei secretum intuentur, non plenè Deum comprehendunt. Infinitum Deum non infinitè sed finitè cognoscunt. Non omnia quæ in Deo sunt, & in Deo videri sciriq; possunt, vident aut sciunt: id namq; creatæ finitæq; Intelligentiæ captum excedit. *In Enchirid: Parvul. lib: 1. cap: 9.*

Angelorum amor erga homines.

NVlla unquam Mater erga unicè dilectum filium suum regendum, custodiendum, tuendumq; ita vigilat, uti Beatissimi Spiritus nostræ saluti invigilant: & præcipuè Angelus proprius, tuæ speciatim custodiæ à Domino deputatus. Nam nocte & die, omni loco & tempore, in cunctis causis & necessitatibus tuis summa cum fidelitate adest, & nec ad momentum quidem unquàm à te recedit. *In Dictis Patrum. cap. 6.*

De numero Angelorum.

SAnctus Dionysius Areopagita scribit. Numerum Sanctorum Angelorum superare omnem numerum inferiorum rerum.

Pleriq; Patrum existimant non plures esse Angelicos Spiritus in Cælo quàm erunt boni homines finito hoc sæculo: ita ut æqualis sit numerus Angelorum & hominum beatorum.

Virgo Deipara MARIA dixit Sanctæ Birgittæ lib: 4. Revel. Tantum esse numerum beatorum Spirituum Angelicorum, ut si computarentur omnes homines ab Adam, usq; ad ultimum in fine mundi nasciturum: possent unicuiq; homini deputari ad minus decem Angeli gloriosi. *In Monil. Spiritual. cap:* 14.

Angeli quas formas assumunt ad videndum se.

ANgelus, & omnia separata à corpore, nonnunquam visibilem formam assumunt, talem qualem vo-

luerit Deus, ut ab his conspici possint, quibus apparent; verùm ejusmodi figura de eorum substantia non est. *In Enchiridio Parvul. lib. 2. cap: 12.*

ANIMA,

Animæ rationalis præstantia.

QVælibet anima rationalis, (cùm sit imagine summæ Trinitatis insignita) Cælo terraq; incomparabilitèr præstantior est. Tantam habet cum Deo (à quo profluxit) similitudinem, ut ejus excellentiam nulla creatura, ne ipsa quidem creaturarum omnium præcellentissima Virgo Deipara capere possit. *In Institutione Spirit: cap: 6.*

Item.

Tanta est animæ hominis dignitas & tantus decor, ut unigenitus Dei Filius præ natis hominum formâ speciosus, amore ejus ardens, acerbissimos cruciatus perpeti & pre-

tio-

tiosum Sanguinem suum fundere, ignominiosamq; mortem subire non recusaverit: quo illam à morte perpetua redimeret, & verâ libertate donatam, ad cæleste Regnum reduceret. *In Dictis Patrū cap: 1.*

Animæ pulchritudo.

TAnta est elegantia & formositas animæ rationalis, quàm peccatorum sordes non deturpant; ut si eam clariùs cernere possis, vix scires præ admiratione & gaudio, ubinam esses. *In Spec: Spirit. cap: 3.*

Animarum æqualitas.

ANima non est major in virili hominis ætate, & minor in ætate puerili: æquè magna est si corpus fuerit breve, sicut si esset proceritatis giganteæ: non partiri, nec augeri, nec minui potest. *In Enchir: Pa. vul. lib: 2. cap: 12.*

Item.

Animà non est pulchrior in pulchro corpore, quàm in deformi (nisi

in pulchro sit sanctior, quàm in deformi) sed tàm in deformi, quàm in pulchro corpore est pulcherrima, si peccatis non fuerit deturpata. *Ibid. ut supra.*

Item.

Anima abjectissimi mendici, secundùm dignitatem creationis, non est inferior, animâ honoratissimi Principis. *In Instit. Spirit. cap. 6.*

Animæ Esseitas.

Anima tota toti corpori, totáq; cuilibet corporis viventis parti adesse dicitur. Deum aliquo modo imitata, qui totus in toto mundo, & totus in qualibet mundi parte est. Peculiariùs tamen in corde & cerebro anima perhibetur esse: quemadmodùm Deus in templo nomini suo dedicato, & in cælo singularis est. *In Enchirid: Parvul: lib: 2. cap: 12.*

Anima propriæ cura salutis habēda.

UT corpore valeas, permittis te Medico homini: credis te Chirurgo

rurgo ligandum, secandum, urendum. Vt animæ salutem æternam compares, non credis te Domino, Conditori, Patri & Salvatori? Non audes dicere Medico hâc & hâc ratione cura me: & Deo præscribimus, quomodo oporteat nostræ saluti consulere. *In Consol. Pusill: In præclaris Dictis de Dei misericordia.*

Animæ cognitio, Quæ?

ANima rationalis cognoscit Deum supra se, se in se, Angelum circa se, & sensibilia infra se. *In Enchirid Parvul. lib: 2. cap. 12.*

Animarum in Purgatorio Eleëmosyna, Quæ? & quàm grata Christo Domino.

MItte fidelibus animabus, quæ in pænis Purgatorii detinentur, Spirituales Eleëmosynas, orans devotâ mente pro illis. Quidquid pro animarum absolutione & refrigerio pie feceris; Christus, qui illas ardentèr diligit, id ita accipiet, quasi tu ad

ipsũ in carcere posítũ venisses, eumq; inde liberare satagisses. *In Spec: Spir. cap: 3.* *Item.*

Pius & svavis Dominus, ipsas electorum suorũ animas, quas post mortem carnis adhuc purgare necesse est, in tantum diligit, earumq; liberationem tàm ardentèr desiderat, ut si nos benignâ charitate moti pro illarum absolutione fidelitèr precemur, & adorandam Sancti Altaris Hostiam, sive merita Chrísti Jesu, vel psalmodiam, aut quælibet alia salutaría offeramus peragamusve, hoc non minus gratum habeat, quàm si eundem Dominum nostrum carcere conclusum consolationibus relevare, atq; adjutorio liberare studeremus. Ipse enim dixit, Quod uni ex minimis meis fecistís, mihi fecistis. *In Enchir: Parvul: lib: 2. cap: 4.*

Animabus in inferno pæna damni gravissima.

EOrum, quì æternis suppliciis inferni deputati sunt, gravissima

pæna

pæna hæc est, quòd Deum in se habent, ad quem tamen nunquam pertingere poterunt. *In Institutione Spirituali. cap: 3.*

BEATITUDO,

Beatorum præmium essentiale, Quod?

ESsentiale præmium consistit, in contemplativa unione animæ cum nuda divinitate. In hoc beatitudo animæ potissimùm sita est, ut Deum sine medio contempletur: cùm anima, supra omnes vires & potentias suas evecta, in Divinarum Personarum naturalem essentiam, & in essentiæ simplicem nuditatem deducitur. *In Consol: Pusill. Suso de Patria cæesti.*

Beatorum gaudia in Cælo.

BEati, finitâ hâc peregrinatione, perveniunt ad cælestem illam beatamq; patriam: ubi sublatis omnibus miseriis atq; impedimentis, æter-

nâ requie perfruuntur adepti bonum illud, quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit: ubi revelata facie, clarissimè, jucundissimè, perpetuòq; contemplantur fulgentissimam Trinitatem, Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum, unum summè svavem, summeq; amabilem Deum. *In append. Psychagogiæ, in conclusione opusculi.*

Beati & Angeli mansiones in cælo habent seorsivas.

ANgeli, Archangeli, Virtutes, Potestates, Principatus, Dominationes, Throni, Cherubin, ac Seraphin, habent proprias in cælo mansiones divisas, in quibus perpetuas Deo exhibent laudes. Non solùm autem Angelici Spiritus, propriis in cælesti aula nobilitantur mansionibus: verùm etiam quotquot homines prædestinati sunt ad salutem. Neq; est ambigendum Patriarchas Sanctos, sublimes Vates, Apostolorum honorabile

rabile collegium, Martyrum laureatum Chorum, concordem Confessorum numerum, Virginum candidatum exercitum, sacratumq; Sacerdotum ordinem, speciales in cælo possidere mansiones. In uno siquidem universæ mansiones sunt loco: una tamen quæq; eorum, pro meritis inhabitantium fulget, deliciisq; exuberat Spiritualibus. *In Append. Psychagogiæ. In Fasciculo amoris.*

Beatorum quisq; contentus suâ sorte.

IN domo Patris mei, mansiones multæ. *Ioan. 14.* Apud Patrem quippe mansiones multæ sunt, quia in illa beatitudinis vita non dispari, unusquisq; juxta meritum dispar, locum disparem percipit, sed ejusdem disparitatis damna non sentit: quia tantùm sibi, quantùm perceperit, sufficit. *In Psychag. lib. 4. cap. 17.*

Beatorũ Corporũ agilitas & subtilitas.

TAntâ agilitate & levitate prædita erunt, ut ubicunq; anima

esse

esse debebit, aut volet, mox ipsa in momento suum secum corpus eò adducet. Et tam erunt subtilia, ut etiam murum æneum, centum milliaria latum & crassum, minori negotio sint penetratura, quàm solis splendor vitrum penetret. *Blosius in Farragine Institutionum de beatitudine & gloria cælesti.*

COGITATIO.

Pravæ & obscænæ, quibus resistitur, peccata non sunt.

SI contingeret, vel tot incidentias aliquem sustinere, quòt momenta sunt temporis, quæ & adeò abominabiles & detestandæ forent: ut similes cor humanum vix excogitare, aut lingua aliqua effari posset, de quocunq; etiam illæ essent: sive de Deo, sive de Creaturis: & homo in tali statu, uno vel altero, vel plurimis quoq; annis, contra vo-

lunta,

luntatem suam persisteret: si saltem ratio, remorsum, displicentiam, atq; aversionem ab hujusmodi haberet: itaq; non cum plena deliberatione & integra voluntate talibus consentiret, sed potiùs resisteret, cum natura hujusmodi sustineat: peccatum mortale haudquaquam admissum foret. *Henricus Suso. In Consol. Pusill.*

Item.

Quando homini aliqua prava cogitatio incidit, & ipse fortassis cum delectatione ei intendit, atq; sui ipsius oblitus non ita celeritèr inde se avertit. Et tunc putat se cum voluntate & deliberatione illi intendisse, & se ipso neglecto peccasse mortalitèr. Sed absit, ut hoc esse dicamus. Concors namq; multorum Sanctorum sententia est. Rationem sæpè per importunas incidentias ad delectationem pervenire idq; satis bonâ morâ, & longo tempore, antequam ratio sui ipsius per naturalem deliberationem plenè compos fiat. Quod cùm ita

sit: nequaquam in talibus mortale peccatum homines boni metuere debebunt. *Ibid. ut supra.*

Item.

Aliud est impugnari à vitiis, aliud expugnari. Quamdiu non consentis, quamdiu tibi displicent ipsa vitia. & eis ratione ac voluntate repugnas, non elongaris à Deo, quantumlibet illa infesta sint & molesta. *In Specul. Spiritual. cap. 6.*

Quinimo repurgant animam.

ETiamsi sentires gravissimos vitiorum motus, sed eis non consentires. etiam immundissimæ imagines, vel inauditæ adversus Deum ac Sanctos ejus blasphemiæ se se cordi tuo contra voluntatem tuam ingererent; non contaminarent, sed repurgarent animam tuam, atq; admirandas coronas in cælo pararent. *In Spec: Spirit. cap. 6.*

Item.

Certissimè scire debes, malas cogita-

girationes quibus mens reluctatur, & quas detestatur, esse purgationem animæ atq; coronam. Si tu illas prohibere non potes; fer patientèr, ac voluntate eis renitere. Et quamvis ipsis non consentias, time nihilominùs ne inde superbias, & cadas. Nam quicunq; stat, solius Dei virtute stat. *Christus ad S. Birgit. In Monil. Spiritual. cap. 4.*

Item.

Christus loquitur ad S. Birgittam.

VT homo intelligat infirmitatem, quam habet à se ipso, & fortitudinem, quam habet à me, necesse est, ut quandoq; permittam eum pulsari pravis cogitationibus, quibus si non consentit; illæ efficiuntur ei purgatio animæ, & custodia virtutum. Et licet valde amaræ sunt ad ferendum, sanant tamen animam, & ducunt eam ad æternam vitam, quæ non potest haberi sine amaritudinibus. Diligentèr verò debet laborare

anima, ne eis consentiat, aut in eis delectetur. *In Monil. Spir. cap: 4.*

Cogitationes impuræ contemnendæ, nec cum illis disputandum.

MVltas & innumeras nefarias cogitationes malignus Spiritus plerumq; bono homini suggerit. Quicunq; talis es, bono animo esto. Nam si prava aliqua tibi inciderunt; cura, ut rursum excidant: nec turberis animo; sed corde ad Deum convertere. Noli respicere, noli cum eis disputare, noli verbum respondere: tantùm excidant, & animum inde quantùm potes averte. *Thaulerus in Consol. Pusill.*

Cogitationes blasphemæ, nec formidandæ nec confitendæ.

Christus alloquitur animam.

QVodsi quandoqué etiam blasphemias, aut execrandas cogitationes contra me, Sanctosq; meos, in cor tuum Diabolus immiserit; noli

pro-

propterea conturbari, aut nimium pusillanimis esse. Cùm hæc tibi tristitiam & afflictionem potiùs ingerant, quàm delectationem: nullo modo formidanda, sed nec Sacerdoti confitenda sunt. *In Consol: Pusill: ex scriptis Lanspergii Carthusiani.*

Item.

Quantumcunq; absurda & fœda malignus Spiritus cordi tuo ingerat, ipse ea nihili facias, internum intüitum mox ab illis avertens. Talia enim meliùs vinces contemnendo & conspuendo, quàm si illa attendere, & de eis cogitare, atq; cum eis altercari volueris. Nec putes te ex illis (quod tibi prorsus displicent, & quæ statim reijcis) culpam aliquam contrahere, quam coram Sacerdote confiteri necesse sit. *In Regula brevi.*

Cum impuris cogitationibus quid agendum?

SI contingat immundas imagines, vel ex aspectu, vel ex auditu, vel

per cogitationes, vel per Dæmonum ſuggeſtionem dormienti, aut vigilanti tibi incidere: ita, ut ad libidinem & turpes naturæ propenſiones, ac voluptatem movearis; mox Crucis ſignum imprimas cordi tuo, & ores Deum, ut tui miſereatur: vel etiam Angelicam ſalutationem dicas, ac Sanctorum preces opemq; implores. *In Farrag: Inſtit.*

Item.

ADverſus turpes propenſiones, libidinoſoſq; ſtimulos carnis, non parum prodeſt cogitare, quanta ſit vilitas ac brevitas carnalis voluptatis, quantaq; ipſius carnis corruptio. Quid enim eſt caro, quantumlibet etiam pulchra & elegans appareat, niſi ſtercus, putredo, & ingens fœtor. *In Specul. Spirit: cap. 4.*

Cogitationes malæ, non ſemper à Diabolo excitantur.

NOn omnes cogitationes noſtræ malæ ſemper Diaboli inſtinctu excitantur: ſed aliquoties ex noſtri arbi-

arbitrij motu exsurgunt. Bonæ autem cogitationes semper à Deo sunt. *S. Aug. Tom. 3. lib: de Eccl: dogm: cap. 81.*

CONFESSIO,

Crebrò facienda.

OMnino expedit, ut quia quotidie offendis, & maculas contrahis: crebrò etiam teipsum coram sacerdote expurges. *In Spec. Spirit. cap. 1.*

Item.

Vt puritatem conscientiæ adipiscaris, confitere satis frequentèr humili contritoq; corde peccata tua coram Sacerdote, qui authoritatem te absolvendi habeat: sed reiice superfluos atq; inanes scrupulos. *In Tabella Spirit.*

Facienda Sacerdoti approbato.

A Cunctis gravibus peccatis ab infantia perpetratis, quoad poteris te expurges, idq; coram sapienti

& di-

& discreto confessore, qui habeat juxta Ecclesiæ constitutionem te absolvendi potestatem. Quod si id semel egisti; satis est, & sufficit æternæ Dei veritati: sicq; pacem habes cum Deo, & in munda conscientia tua. *In Farragine Instit.*

Confessio est Tabula naufragii.

SI quis se cognoscit de littore continentiæ, & tempestate libidinis in pelago luxuriæ fuisse jactatum, & castitatis incurrisse naufragium: Peccatorum confessionem velut Tabulam confractæ navis velocitèr apprehendat: ut per ipsam de hac abysso & de profundo luxuriæ possit evadere, & ad portum pænitentiæ pervenire. Vbi tàm tutiori loco spei anchoram figere; & salutem perditam valeat reparare. *S. Aug. Serm: 24.*

Confessio generalis semèl ritè facta, non est iteranda.

SI libet confiteri cunctas graves culpas atq; offensas, quas te ab infantia

ſantia admiſiſſe meminiſti: ubi ſemèl hoc egeris, ſatis eſt, & æternæ Dei veritati ſufficit: licet nonnulli pii inveniantur, qui plus, quàm ſemèl id faciunt. *In Spec. Spir. cap:* 1.

Item.

Habitâ ſemel bona examinatione conſcientiæ ante confeſſionem, ſcrupulos abiice: noli denuò inveſtigare conſcientiam, ne inquietudinem tibi parias ſemper confitendi: & per alia bona exercitia, ad amorem conducentia, ſcrupuloſam illam inveſtigationem exclude. Nam ſi obſervaveris ſcrupulos, ſi ſcrutari & inveſtigare ſingulos timores volueris mille tibi parabuntur inſidiæ. *In Conſol. Puſill. Lanſperg. In Inter. Alloc. Chriſti.*

Item.

In veritate dico, ubi quis peccata ſua ritè confeſſus, adhuc remorſum ex iiſdem in conſcientia patitur, multò meliùs fecerit, ſi hac in parte Deo

confi-

confitendo, & fidem virtuti confessionis adhibendo, eadem denuo non confiteatur, quàm si iteret confessionem. *Thaulerus in Consol. Pusil.*

CONTRITIO.

DE DIVISIONE CONTRITIONIS.

Contritionis dolor est Duplex.

1mus ANimi, seu voluntatis, qui est peccati detestatio: & est de necessitate, & essentia Contritionis.

2dus. Dolor sensualis est, seu sensibilis; qui apparet exteriùs in signo aliquo, in lachrymis, in suspiriis. Et iste dolor non est de necessitate & essentia contritionis sed solùm de perfectione: quia non est de potestate nostri liberi arbitrii.

De Differẽtia, inter dolorẽ & dolorẽ.

DOlor, quem qui elicit detestando peccata sua propter timorem pænæ

pœnæ damnationis æternæ: vel ob amorem consequendi regnum cæleste, vocatur Attritio: quæ nec meretur gratiam remissionis peccatorum ex se, quia est absq; charitate, & dicitur servitutis. Quod si accedat Sacramentum pœnitentiæ, ex Attritione, fit contritio, ob adnexam gratiam Sacramento, quæ illi confertur.

Dolor, qui elicitur detestando peccata propter solam offensam Dei summo amore digni, vocatur Contritio. Et talis meretur peccatorum remissionem, ante susceptionem Sacramenti. Quia habet timorem filialem Dei, qui sine charitate esse non potest cum spe veniæ Debet tamen pœnitẽs habere propositũ confitendi, & satisfaciendi tempore suo.

Contritio qualis debeat esse.

DEus omnes culpas peccatori perfectè remittit, nec unquam illas illi imputabit, etiamsi tot essent, quot omnes homines simul comíserunt.

runt. Si tamen perfectè doleat, ex amore, & purè ad gloriam Dei: atq; ideo potissimum suæ illi iniquitates displiceant, quod eas Deo displicere intelligit. *In Dictis Patrum. cap. 14.*

Contritio vera, Quæ?

QVi veram optat habere contritionem; in se ipso humilitatem, peccati displicentiam, & firmam in Deo fiduciam habere curet. Dicente S. Scriptura Eccl. 38. Filî in tua infirmitate ne despicias te ipsum, sed ora Dominum, & ipse curabit te, *In Consol: Pusill. Suso.*

Contritio sufficiens, Quæ?

SVfficit hæc contritio (licet sit arido corde) quòd doleas Deum esse offensum, & optes te non offendisse: statuasq; quòd nolis ampliùs peccare. *In Consol. Ioan. Lanspèrg. in Allocutione Christi ad animam pœnitentem.*

Contritis dat veniam Deus.

DEus, qui tibi dedit veram contritionem, dedit sine dubio & veni-

veniam: nec attendit qualis aliquando fueris; sed qualis modo sis, aut posse cupias. *In Spec: Spirit. cap.* 9.

Contritio perfecta sæpè tollit peccatum & pœnam.

CHristus S. Birgittæ dixit. Quem heri dixi pessimum, hodie dico charissimum, propter veram contritionem: quæ, si perfecta ac stabilis fuerit; dimitto non solùm peccatum, sed & pænam peccato debitam. *In Monil. Spir. cap:* 1.

Quomodo dolendum sit pro peccatis.

DOleas purè ad gloriam Dei: & iniquitates tuæ ideo potissimum tibi displiceant, quòd eas Deo displicere, honoriq; & beneplacito ejus contrarias esse intelligis. Magis pondera injuriam, quam Deo intulisti, quàm pœnas, quas commeruisti. *In Spec. Spir. cap:* 1.

Item.

In contritione, sensibiliq; devoti-

one, magis lugere consvesce, quòd erga Deum Creatorem & Patrem tuum dulcissimum contumeliosus ingratusq; fueris, quàm quòd te ipsum æternis suppliciis obnoxium reddideris. *In Spec: Monachorum.*

Contritio sensibilis non est curanda.

NE conturberis, quòd pro ipsis delictis tuis, non possis fortè offerre Deo sensibilem cordis contritionem. Nam si dolor in voluntate & ratione est; si verè tibi displicet, quòd benignissimum Deum tuum offenderis; si doles quòd non magis doleas: si statuis deinceps meliùs vivere; istiusmodi contritio Domino gratissima est, licet cor aridum permaneat. Si desunt exteriores lachrymæ, non desint interiores. Sine illis potes peccata plangere & placere Deo, sine his non potes. Non autem cares interioribus lachrymis, quando ex animo tibi displicet Dei offensio: quando mente prorsus aver-

aversaris vitia: quando Deum magno affectu quæris & ad eum suspiras. *In Canone vitæ Spiritualis. cap. 4.*

Item.

Dole quia peccâsti, quia me offendisti, aut saltim dole, quia non sentis te dolere. Sæpènumero enim fit, ut mihi magis placeat, & homini utilius sit, velle esse contritum, aut devotum, quàm sentire contritionem vel devotionem. Quia velle habere, & non habere, generat afflictionem cordi. *In Consol. Pusill. In Interna Alloc: Christi.*

Contritio, etiamsi parva, grata est Deo.

QVamlibet parva sit contritio, purè Dei intuitu concepta Deo tamen multò gratior est, quàm sit omnis dolor, quem propter seipsos vel jacturam suam, omnes simul homines habuêre. *In Dictis Patrum, cap. 14.*

Contritio minima præstat magnæ austeritati vitæ.

NOn hi ad Deum perveniunt, qui vel diu ſanctè vixerunt, vel magnam vitæ auſteritatem præſtiterunt: ſed quicunqué cor contritum & humiliatum exhibent, ab ipſo clementèr reſpiciuntur, ſuſcipiunturq; quantumvis etiam modico tempore benè vixerunt. Latro ille pendens in Cruce quàm brevem pænitentiam egit? & quàm repentè ſalutem æternam conſecutus eſt. *In Canon: vitæ Spir: cap: 37.*

In defectu contritionis quid agendũ.

SI alicui dolor, ſive contritio deeſt, ſaltem doleat ſe non dolere: nam hoc quoq; dolor eſt. Itidem ſi quis deſiderium & amorem non ſentit, deſideret habere deſiderium atq; amorẽ. *In Apologia pro Thaul. c. 4.*

In contritione Deus acceptat velle, pro facto.

NOn propterea angaris, quod fortè non ſentias dolorem vel contriti-

tritionem. Si enim omnino velles & cuperes te non offendisse Deum, aut etiam doles te non dolere; hunc quoq; dolorem suscipit ac recipit Deus: qui pensat non tàm quid sentias; quàm quid velis. Dic sæpiùs hæc aut similia verba. O Domine Jesu! utinam nunquam te offendissem: utinam posthac viverem iuxta gratissimam voluntatem tuam, tibiq; placerem. *In Spec. Spirit. cap. 6.*

Contritio generaliter de omnibus peccatis habenda.

SI multa habes peccata, de multis ac omnibus simul generalem habe contritionem: in qua omnia ac singula peccata velis includi: ita ut nullum peccatum sit, quod (etiamsi sigillatim memoriæ occurreret) excludi velis, de quo non doleas, & quod nolis vitare atq; relinquere. Hæc enim contritio generalis, extendit se ad omnia & singula peccata, etiam ad illa, quorum

oblitus es, & de quibus non cogitas. Lansperg. *In Consol: Pusill. In Interna Alloc. Christi*

Item.

NOn hoc exigo, ut de singulis peccatis necessariò habeas singulas contritiones juxta numerum, ac speciem peccatorum. Ipsa Magdalena non alitèr quàm simul, & de omnibus dolere potuit, in tam subita compunctione. Tu quoq; ita de omnibus dole, ut nullum sit peccatum; quod tibi placeat, sive generaliter, sive sigillatim memoriæ occurrat. *In Consol: Pusill: Lansperg: In Allocutione Christi.*

Contritio debet præcedere orationem quandoq̃.

SI consciẽtiâ peccatorum remordente, nequis libero corde orare; statim culpam tuam coram Deo cum humilitate fatearis, veniamq; petas, & te corrigere proponas: atq; ita demum sanctâ fiduciâ resumptâ, faciem animæ

animæ tuæ jam repurgatam, ad Dominum per preces laudesq; divinas leves. *In Enchirid: Parvul. lib: 1. In Append: Documenti 12.*

CORPUS.

Corporis pulchritudo vana.

QVid est caro, quantumlibet etiam pulchra & elegans appareat? quid est nisi stercus & putredo, & ingens fætor. Si detrahatur pellis illa tenuissima, quæ magnam pulchritudinem præsefert, jam ipsa caro tota deformis erit. *In Specul. Spiritual: cap. 4.*

Corporis deformitas non contemnenda.

QVando vides hominem deformem & morbidum: non ob hanc deformitatem eum minùs diligas, nec in consideratione corruptibilis mortalisq; carnis sistas, spe ad considerandam immortalis animæ pulchritudinem te transferas. Tanta

est enim elegantia & formositas animæ rationalis, quam peccatorum sordes non deturpant, ut si tu eam clariùs cernere posses, vix scires præ admiratione & gaudio, ubinam esses. *In Specul. Spirit: cap. 3.*

Corporis Sanitas moderatè expetenda à Deo.

SI cognoscit Dominus corporis sanitatem tibi fore utilem: eam procul dubio dabit postulanti: quodsi eam non præstiterit; jam tu crede prorsus animæ tuæ expedire, ut illa careas. *In Canone vitæ Spirit: cap: 23.*

Corporis sanitas in servitio Dei est præservanda.

QVid corpus tuum exagitas? quid mentem affligis? Deus non exigit, ut in obsequio, quod illi impendis, te ipsum crudelitèr excarnifices, sed vult te esse & spiritu & corpore sanum, nisi alitèr ipse pro tua utilitate ordinaverit. *In Canone Spir: c. 23.*

Item,

Item

Licet plerosq; Sanctos homines vitam admodum rigidam duxisse legas, vel audias, & magnus forte fervor in initio conversionis tuæ, ad inusitatam austeritatem amplexandam te impellat: non tamen inconsideratè sequaris hujusmodi fervorem, sed sapientum utere consilio. vitia mortificanda sunt, non corpusculum opprimendum, nec natura destruenda. *In Spec. Spirit. cap. 5.*

Corpus, cibo & potu reficiendum.

NEcessariam cibi, potûs somniq; indulgentiam corpori non neges: in ea re non sis multùm acer, nisi Spiritu Sancto revelante certò didiceris, singularem abstinentiam Deo in te placere. Immoderata enim refectionum subtractio, tàm Spiritui, quàm corpusculo plurimùm incommodat, & amentiam plerumq; parit. *In Canon. vitæ Spir. cap. 24.*

Reficiendum, sed moderatè.

DVm corpus alimentis reficis, summoperè caveas, ne ventrem & Spiritum cibo, nimiove potu prægraves. Tam cibum, quàm potum modestè & continentèr sumas, non quærens in illis aliquam delectationem. Intingas Spiritualiter buccellas, quas edis, in pretiosum Sangvinem Christi; & è roseis vulneribus ejus potum haurias. *In Regula brevi.*

Item.

Reficiens corpus cibo, potu, vel somno, non voluptatem, sed sustentationem naturæ spectes. Quamlibet buccellam cibi, & quemlibet haustum potûs, modestè atq; continentèr cum sancto timore, suiq; mortificatione, ad gloriam Dei sumas. Non uno haustu multùm potûs te ingurgites: sed si vehementèr sitis, bibas sæpius. *In Instit: Spirit: cap: 2.*

Item.

Vitandus cibi est excessus, & immode-

moderatus cibi potusq; usus. Quòd si aliquid plus sumpseris, ora Deum ut det veniam immoderationi tuæ. *In Farrag: Instit.*

Corpus reficiendum Intentione Qua?

REfice & refocilla ipsúm corpusculum tuum cum discretione ad æternam Dei gloriam, in unione illius amoris, quo dulcis Jesus pro te factus homo, manducare, bibere, quiescere, & somnum capere, dignatus est in terris: eiq; offer in unione eiusdem amoris ipsa corporalia solatia, quæ admittis. *In Spec: Spir: cap: 4.*

Ad corpus reficiendum epulæ exquisitæ non requirendæ.

EXquisitas & svaves epulas vitiosè non requiras: immo verò tales tibi oblatas pro Dei amore sæpè intactas relinquas, cùm Dominus JEsus felle & aceto potatus fuerit. *In Institutione Spirituali. cap: 2.*

Item.

Item.

Si tibi administrantur escæ simpliciores ac rudiores, non ob id patientiam & pacem cordis tui murmurando amittas: sed ea, quæ à Deo dantur, & providentur, sume cum gratiarum actione. Pudeat te quærere lautitias præter rationem & justam necessitatem, cùm Dominus tuus Jesus Christus felle & aceto potatus fuerit. *In Speculo Spirituali cap. 4.*

Corpori prandium lautius, cœna brevior danda.

Consultum fuerit, ut in prandio quidem corpusculum alimentis reficias, quantùm naturæ necessitas exposcit: sed in cœna nonnisi parcè manduces. Sobriam enim cœnam, sobrius somnus consequi solet. *In Instit. Spirit. cap. 2.*

DE-

DESPERATIO,

Peccatum gravissimum.

HOmo magis Deum inhonorare nequit, nec majorem illi irrogare injuriam, quàm si ob multitudinem aut gravitatem criminum suorum, desperet de ejus misericordia: quæ utiq; infinito major est, quàm sint aut esse possint omnia totius mundi peccata. *In Tabel: Spir.*

Item.

Judas graviùs peccavit, de salute desperando, quàm peccaverat Christum tradendo: quemadmodum & Cain, enormiùs Deum offendit desperatione veniæ, quàm offenderat fratris sui Abel occisione. *In Consol: Pusill. B. Hieronymus.*

Item.

Christus S. Catharinæ Senen: dixit. Peccatores, qui in extremitate mortis, desperant de misericordia mea, multò graviùs me offendunt, & magis

magis mihi displicent hoc uno peccato, quàm omnibus aliis iniquitatibus, quas unquam commiserint. *In Monil. Spiritual. cap:* 1.

Desperans negat Deum Omnipotentem, & facit eum mendacem.

QVisquis abjectâ spe veniæ, deiiciat se in desperationis barathrũ, is non solùm non credit Deum Omnipotentem, existimans aliquod flagitium esse, quod illud non possit diluere: verùm etiam eum facit mendacem, qui pollicitus est per Prophetam: se protinus commissorum omnium fore immemorem, simul atq; peccator ingemuerit. *In Consol. Pusill: in Præclaris Dictis de Dei misericordia.*

Item.

Caina posteritas dicit. Majus est peccatum meum, quàm ut veniam merear. Quid dicis impie? si Deus victus magnitudine peccatis non potest ignoscere? detrahis illi omnipotentiam. Si non vult quod potest?

test? mendax est & vanus, qui nolit præstare, quod totiès promisit per ora Prophetarum. *Ibidem ut supra.*

Facit Deum implacabilem.

NVnquam de Dei misericordia desperaveris. Non enim innumerabilis horrendorum enormiumq; criminum multitudo, sic nobis reddit, Deum implacabilem, sicut unica desperatio. Nam qui diffidit de venia, Deum misericordem & omnipotentem esse negat, in Spiritum Sanctum blasphemus est. *In Speculo Monachorum.*

Non desperandum, sed resurgendum de peccatis etiam enormissimis.

QVantumvis multa & enormia fuerint peccata tua, nunquam de venia desperaveris. Corruisti? surge, converte te ad Medicum animæ tuæ, & viscera pectoris ejus tibi patebunt. Iterum corruisti? iterum resurge, geme, clama, & miseratio

Redem-

Redemptoris te recipiet. Corruisti tertio & quarto? & sæpius? surge rursum, plange, suspira, humiliare, & Deus non te deseret. Nunquam despexit, nec despiciet unquam cor contritum: nunquam rejecit, nec rejiciet unquam confugientes ad se, per veram pœnitentiam. Quare etiamsi centies, etiamsi millies intra unius horulæ spatium lapsus fueris, toties cum sancta spe veniæ resurge. *In Canone vitæ spiritualis. cap: 1.*

Item.

Neq; propter numerositatem, neq; propter enormitatem lapsuum tuorũ desperes, sed culpam tuam humilitèr agnoscens, & te fidelitèr corrìgere proponens, toties cum Sanctæ indulgentiæ spe resurge, quoties cadis. Nam quandocunq; te verè pænitet peccatorum admissorum, & ipse integro corde voluntatem tuam inclinas ad tui emendationem, tam repentè sanctificaris, quàm repentè mundatus fuit leprosus ille, cui dicenti Do-

ti, Domine, si vis potes me mundare: Dominus respondit, volo mundare. *In Enchirid: Parvul: lib: 1. Append: Documenti. 3.*

Item.

Etiamsi post innumera gratiæ beneficia accepta, Deum (quod absit) abnegaveris: agnosce humilitèr culpam, detestare facinus, animo propone non ampliùs peccare, firmitèr statue meliùs vivere, & de venia securus esto. *In Canone vitæ Spiritualis. cap. 1.*

Item.

Nulla mæroris magnitudo, nulla angustiarum acerbitas, nulla defectuum multitudo, nulla scelerum enormitas te ad desperationem, nimiamve pusillanimitatem adducat. Quantũcunq; peccaveris, semper Dei misericordia in infinitum excedit tuas iniquitates: quantumcunq; infirmus sis, semper illius benignitas adjuvare parata est tuam fragilitatem. *In Consol. Pusill. Quidam pius Scriptor.*

De nullius salute desperandum.

NVllius unquam salutem desperaveris. Nam qui modo pessimi sunt, mox Dei gratiâ immutati, possunt esse Sanctissimi. *In Canone vitæ Spirit. cap. 32.*

Item.

Non est desperandum de malis, sed pro illis, ut boni fiant, studiosiùs supplicandum. Quia numerus Sanctorum, de numero auctus est impiorum. *S. August: lib: de vera innocent. cap. 184.*

Tentatori ad desperandum responsa.

SI vel ad diffidentiam, vel ad desperationem importunè animum solicitaverit inimicus; opportunè obiices ei, ea, quæ gratia Dei in tè perfecit: sed præcipuè obiice ei, passionem Dominicam, obiice mortem communis Redemptoris. *In Canone vitæ Spirit: cap: 17.*

Item.

Si in desperationis barathrum Diabolus

bolus pium hominem, nonnunquam immergere nititur, loquens intus in ipso. In cassum agis, quidquid agis, displicent omnia Deo opera tua, & ipse filius es perditionis æternæ. Quid verò agendum est illi cui talia suggeruntur? omnem omnino curam, & solicitudinem suam in Deum proiiciet & anchoram suam in eundem, cum firma erga illius immensam misericordiam spe & fiducia, figet. *In Consol. Pusil: Taulerus.*

Consolatio diffidentium de misericordia Dei, præsertim malæ vitæ senū in mortis articulo existētiū.

TV qui senili, vel ultimâ ætate, relictis vitiorum iniquitatumq; sordibus, iter justitiæ ingredi cæpisti, jamq; bonæ voluntatis es: quare sic trepidas ac tantâ tristitiâ deprimeris, quasi nulla tibi salutis spes esset relicta. Recordare, quæso, recordare misericordissimi, benignissimi, dulcissimiq; Redemptoris tui JESU Christi,

qui

qui venit in mundum peccatores salvos facere. Pro eis incarnatus est, pro eis laboravit, acerbam Passionem pertulit, sanguinem fudit, & mortuus est. Quamvis igitur senio jam prægravatus, seu vitæ hujus termino proximus inceperit se corrigere, & fortè non nisi uno anno vel uno mense, aut uno die hîc vivere habeas: non est tamen quòd perturberis: sed est unde plurimùm gaudeas, considerans immensam Dei erga te clementiam, qui te ante obitum tuum ad se revocavit. bonam voluntatem tibi donans, quiq; non admodùm attendit in homine quid fuerit, sed quid jam esse velit.

Quod si deperditum, ac in vanitatibus & peccatis consumptum vitæ præteritæ tempus te attingit; rursum consoletur, ac piâ firmâq; fiduciâ stabiliat animum tuum, parabola illa Evangelica, ubi legis; eos qui horâ undecimâ à Patre familias conducti, atq; in vineam missi sunt (id est qui

in

in senectute & ultima ætate, sobriè justè & piè vivere cœperunt) licet unâ duntaxat horâ laborâssent, denarium æternæ beatitudinis recepisse; sicut & illi, qui totâ die laboraverunt, seu ab ipsa pueritia & juventute Deo servierunt.

Neq; inordinata formidine concuti debes, propter propriorum meritorum inopiam. Nam cùm jam per bonam voluntatem, & Dei gratiam, veramq; charitatem conjunctus sis Christo tanquam vivum exemplar, particeps eris meritorum ejus, & omnium Electorum ipsius, accipies revera hæreditatem cælestem, quia de numero filiorum Dei es.

Sed metuis fortassè, ne te hinc migrantem pænæ purgatorii excipiant? sed iste quoq; metus nimius deponendus est. Omnino expedit tibi, ut resignes te totum Deo, sinasq; eum facere tecum, quod voluerit. Sicut diligis ejus misericordiam, ita dili-

gas oportet justitiam ipsius. Pater est indulgentissimus, qui sive in hac vita, sive in Purgatorio filios suos à peccatis & vitiis corde jam aversos flagellet, non nisi Paterno affectu id facit, & nihil dubites de tam amabilis Patris pietate. Quando jam illi placere verè desideras ac studes: dolesq; quod eum unquam offenderis: hinc te migrantem non acerbè, sed benignè suscipiet, sinuq; misericordiæ suæ confovebit.

Etiamsi ad Purgatorium deductus fueris, non carebis illic refrigeriô & consolatione, certus de tua salute & æterna beatitudine: gratiusq; tibi erit ibi esse, quàm hic, ubi multæ occasiones habentur offendēdi Deum. Vnde legimus quendam Sanctum Virum hæc similia verba dixisse. Si pro comperto haberem, me post mortem perventurum ad Purgatorium; páratissimus essem, collum gladio subiicere, ut certus esse possem de mea salute.

Tu

Tu homo bonæ voluntatis, qui peccatum omne jam odisti, & Deo vivere ac servire cupis, immoderatum metum depone. Qui enim charitatem habent, & mente ad Deum conversi sunt, dum moriuntur, etiamsi aliquid fortè secum deferant, quod adhuc purgari debeat, felices tamen sunt, quia nunquam à Deo avertentur: ubi plenè purgati fuerint, gloriosi pervenient ad Patriam cælestem.

Sacræ Scripturæ ubiq; ingentem consolationem & fiduciam pœnitentibus, atq; ad Deum verè conversis præstant. Hinc Isaias ait. Derelinquat impius viam suam, & vir iniquus cogitationes suas, & revertatur ad Dominum, & miserebitur ejus: & ad Deum nostrum, quoniam multus est ad ignoscendum.

Joel itidem. Convertimini ad Dominum Deum vestrum, qui benignus & misericors est, & præstabilis super malitia.

Et

Et per Ezechielem Deus loquitur. Cùm averterit se impius ab impietate sua, quam operatus est: & fecerit judicium & justitiam, ipse animam suam vivificabit: omnium iniquitatum ejus, quas operatus est, non recordabor; in justitia sua, quam operatus est, vivet. Nunquid voluntatis meæ est, mors impii? & non ut convertatur à vitiis suis & vivat? *In Consol. Pusil. Quidam Dei amicus.*

DEUS,

Est semper, & omnimodè laudandus.

OMne tempus ad Dei laudem atq; honorem expende: & dum otium suppetit, valetudoq; admittit, da operam sanctis cogitationibus, orationibus, vel lectionibus, ac meditationibus. *In Tabel. Spirituali,*

Super omnia amandus.

RErum caducarum amorem pluris facere, quàm dilectionem Dei: est præferre immundum stercus, rosis elegantissimis, ac gemmis pretiosissimis. *In Dictis Patrum cap. 1.*

Deus parcendo & miserando omnipotentiam suam manifestat.

DEus est omnipotens, pari facilitate innumeras peccatorum myriades in momento remittit, sicut unum peccatum. *In Canon. vitæ Spiritualis cap: 1.*

Nulli mutationi subest.

SVmmus Conditor ac Deus noster, sicut sine principio, & sine fine sempiternus est: ita sine alteratione incommutabilis est, semper idem permanens. *In Instit: Spirit. cap. 8.*

Item.

Deus est incommutabilis, nulli alterationi, nulli perturbationi, nulli passioni obnoxius: semper tranquil-

lus, ſemper id ipſum permanens. *Ibidem ut ſupra.*

Quàm incomprehenſibilis ſit.

SOlus increatus Deus ſe ipſum plenè comprehendit. unde nec ipſa quidem creaturarum omnium beatiſſima, videlicet anima Chriſti comprehendit Divinitatem, ſive infinitam Dei eſſentiam. Nam ſi creatura cognoſceret omnia, quæ ſunt in Deo, comprehenderet Deum, quod nullo modo fieri poteſt, cùm illa ſit finita, Deus autem infinitus. *In Monil: Spirit: cap. 14.*

De ubiquitate Dei.

DEus ubiq; præſens eſt: ſed nullo loco continetur, nullo loco concluditur. Vbiq; totus atq; indiviſus eſt: nullius tamen immunditia contaminatur. *In Spec. Spirit. cap. 10.*

Item.

Deus illocalis eſt, ſui ipſius locus eſt: intemporalis eſt, ſine initio, ſine fine ſempiternus eſt. *In Enchir: Parvul: lib: 2. cap: 9.*

Item.

Item.

Deus ubiq́; est: ubiq́; sine situ, ubiq́; sine divisione totus est: non in parvis parvus, sed in parvis & magnis sine quantitate vel mole magnus. *Ibid. ut supra.*

Deus quid sit? non scrutandum.

NOn velis perscrutari, atq́; animo revolvere, quid sit Deus. Sed sufficiat tibi quod scis, illum esse summam incomprehensibilemq́; bonitatem: atq́; in se habere totius beatitudinis exuberantem plenitudinem. *In Farrag: Instit: In Epistola Ludovici Blosii.*

Item,

Convenientius quid non sit, quàm quid sit ipse supersubstantialis & superintellectualis Spiritus Deus, enunciamus: semper agnoscentes Deo inferius esse, quidquid de eo dicere, vel comprehendere potuerimus. *In Enchir: Parvul. lib. 2. cap: 9.*

Neq; judicia ejus investiganda.

NOn inquiras (si errare non vis) Quare Deus aliquos in errore cæcitateq; deserat? sed relinquens Deo judicia (quæ sunt abyssus impenetabilis) certo credas, eum nihil agere, nihilq; permittere injusti. *In Institut. Spirit. cap. 8.*

Neq; curiosè de Deo quærendum.

NOn exigit à nobis Deus, ut naturam ipsius exactè cognoscamus: sed exigit, ut in recta fide Ecclesiæ Catholicæ permanentes, ipsum sauctè colámus, amemusq;. *In Enchir: Parvul: lib: 2. cap: 10.*

Quia nec unicum attributum illius circumscribi potest.

ÆTerna Maiestas, amabilibus perfectionibus suis, adeò universum creatum excedit intellectum: ut si cælum terraq; libris replerentur, vastissimumq; pelagus totum esset atramentum. & omnes Spiritus Angelici, cunctæq; animæ essent scriptores? citius ipsum mare scriptores exhau-

exhaurirent; quàm minimam cujuslibet perfectionis Divinæ partem absolverent. *In Dictis Patrum, cap. 3.*

De actione Dei nostri.

DEus in cælo manifestat misericordiam suam: & in inferno exequitur justitiam suam. *In Institutione Spir. cap. 3.*

De dilectione suorum.

DEus diligit non solùm illos, qui semper in innocentia vixerunt, sed & eos qui post multa atq; enormia crimina resipiscunt, seq; diligentèr corrigunt: ipsi enim sunt chara vasa misericordiæ ejus. *In Enchir. Parvul. lib. 1. Quidam Scriptor in conclus. Epist. Blosii.*

Deus est præcognitor, & Author Boni: est præcognitor, sed non Author mali.

DEus malæ voluntatis est præcognitor non Author: bonæ verò volunta-

voluntatis & præcognitor, & Author est. Ipse mala fieri permittit, non cogit; & quidquid permittit rectè justeq; permittit, etiamsi nos permissionis ejus ratio lateat. *In Enchir. Parvul. cap: 9.*

Item.

SEmper tibi displiceat malum, quod fecisti: neq; ullo modo culpam conferas in Deum, qui peccati Author nunquam est: nec in diabolum, qui te cogere non potuit, ut peccares: sed tibi soli illam imputa, qui peccato consensisti. *In Speculo Spirit. cap: 8.*

Deus, justis, Beatis, & damnatis, aliter atq; aliter adest.

DEus justis hominibus adest, per salutarem gratiæ suæ exhibitionem: Civibus cæli adest per claram gloriæ suæ manifestationem: damnatis adest, per congruam justitiæ suæ executionem. *In Speculo Spirit. cap: 5.*

Deus,

Deus est propinquior homini, quàm sit sibi homo.

DEus, sive essentia Dei propinquior & interior est tibi, quàm sis ipse sibi: & nisi ille præsentia virtuteq; suâ te conservaret, mox redigereris in nihilum: quia omnia creata ab illo dependent & sine eo nihil sunt. *In Tabell. Spirit. In ratione perveniendi ad amorem Dei.*

Deus ubi erat ante orbem cõditum.

SI quæris, ubinam erat Deus antequam mundum conderet? Respondeo: Quod erat apud seipsum, erat in seipso: & nunc mundo condito in seipso est Deus. Ipse ergo Deus ubiq; est, ubiq; sine situ, ubiq; sine sui divisione totus est. Scit omnia, videt incorporeo oculo, & inscrutabili cognitione: clarissimè cognoscit cuncta præsentia, præterita & futura. *In Enchir: Parvul. lib: 2. cap: 9.*

DIABOLUS.

Turpitudo & deformitas Diaboli.

Christus ad S. Catharinam.

CVm aliquando tibi in extasi positæ Diabolum in propria figura, velut in momento & ictu oculi demonstrassem; tu sensibus corporis restituta potiùs eligeres per viam ignitam usq; ad diem judicii nudis pedibus incedere, quàm rursum illum intueri. Et tamen adhuc ignoras, quàm sit re ipsa horribilis, quem ita raptim vidisti. *In Monil. Spir. cap. 4.*

Item.

Sanctæ Birgittæ idem dixit. Si videres Dæmonem sicuti est, non posses viva tam horribilem visionem sustinere. *Ibidem ut supra.*

Diabolus non obsidet animam hominis.

QVando aliquis vexatur à Spiritu Diabolico, non debemus existi-

mare ſubſtantiam Diaboli ingréſſam eſſe, ſubſtantiam Spiritus humani: ſed ipſum Spiritum malignum, malitiæ ſuæ effectum permiſſione Dei, in corpore humano exercere, animamq́; tartareis diverberare flagellis, inficere venenis, aut inflammare incendiis. *In Enchir: Parv. lib: 2, cap: 12.*

ECCLESIA ROMANA.

Eſt audienda.

QVi contradicit Eccleſiæ, contradicit Spiritui Sancto, contradicit Chriſto Domino, & alienus à DEO eſt, profanus eſt. Hinc Chriſtus dixit. Qui Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus & Publicanus. *In Collirio Hæret. lib. 1. c. 12*

Eccleſiæ obtemperandum.

DEcretis ipſius Eccleſiæ, quam Spiritus Sanctus ſemper mode-

ratur obtempera, ejus institutionem, ſicut & ipſum Evangelium ſequere, etiamſi plurimos non ſolùm ex communi plebe, ſed & Præſulibus, Optimatibuſq; in ea vitiis ſervire conſpexeris. Area enim eſt, grana ſimul & paleas continens. *In Canon: vitæ Spir. capite 27.*

Item.

Catholicæ Eccleſiæ humilitèr obtempera, etiamſi nonnullos Paſtores in ea vivere non rectè conſpicias. Nam Dominus Jesus in Evangelio loquens de Paſtoribus, malè quidem viventibus, ſed bona docentibus atq; præcipientibus, ait. Quæcunq; dixerint vobis ſervate & facite, ſecundum opera verò eorum nolite facere. *In Spec: Spirit. cap: 1.*

Eccleſia eſt veneranda.

QVi contemnit Eccleſiam, quæ eſt Corpus Chriſti myſticum, contemnit & caput Eccleſiæ, videlicet Chriſtum : quemadmodum ipſe

verbis

verbis suis apertissimè ostendit dicens. Qui vos audit, me audit & qui vos spernit, me spernit. *Ibid: ut supra.*

Extra Ecclesiam nulla salus.

FIrmissimè tene, & nullatenus dubites, non solùm omnes Paganos, sed etiam omnes Judæos, Hæreticos, atq; Schismaticos, qui extra Ecclesiam Catholicam finiunt vitam; in ignẽ æternum ituros, qui paratus est Diabolo & Angelis ejus. *In Collyr. Heretic. lib. 1. cap. 8.*

Item.

QVi in aliquo à S. Ecclesia Catholica dissident, eiq; contrariam tenent opinionem, sive id publicè agant, sive occultè, si sic pertinacitèr perseverare statuunt, atq; ita moriuntur, etiamsi cunctis moralibus præditi sint virtutibus, omniaq; misericordiæ ac condolentiæ exerceant opera, tantaq; intellectus perspicacitate polleant, quantam simul mortales omnes, qui unquam fuerint, habuere:

buêre: damnantur tamen & merguntur in flammas tartareas. *In Farrag. Institutionum.*

EUCHARISTIA,

In Eucharistia, est verum Corpus Christi.

EVcharistia non figura veri Corporis Christi, sed ipsum verum corpus est. *In Enchir. Spiritual: lib: 1. cap: 9.*

Item.

In Eucharistia accipimus, & in viscera nostra traiicimus illam ipsam veram Carnem, quam Maria Virgo peperit, & quæ pependit in Cruce, quæq; nunc sedet ad dexteram Patris in cælo: sed alio modo Christus eam exhibet in Sacramento, quàm olim fuit in Cruce. *In Appendice Faculæ de Vesano errore Hæreticorum.*

Item.

Si verum Corpus, & verus Sanguis Christi Eucharistia non contineretur; cur

cûr quæso Paulus Apostolus de ea loquens, hæc terribilia verba diceret? Quicunq; manducaverit Panem, & biberit Calicem Domini indignè, reus erit Corporis & Sanguinis Domini; & rursum; qui manducat (inquit) & bibit, indigne, judicium sibi manducat & bibit, non dijudicans Corpus Domini. *In Append. Faculæ de Vesano Errore Hæret.* *Item.*

Qui se Christianum dicit, & tamen renuit venerari atq; adorare Sacram Eucharistiam, in qua verissimè & Divinitas & humanitas Christi adest: is ipsis Paganis atq; Ethnicis deterior est. *Ibidem ut supra.*

In Eucharistiæ Speciebus totus Christus, imò & tota Trinitas per concomitantiam est.

IN Sacramento Eucharistiæ, sub specie panis, & sub specie vini accipimus totum Christum, nempe Corpus, Animam, & Divinitatem Christi: accipimus totam Trinitatem,

Patrem

Patrem, & Filium & Spiritum San-Sanctum. Neq; enim adinvicem separari possunt tres Personæ unius Deitatis & essentiæ. Tota ergo Trinitas, inhabitat ipsum Corpus Christi, quia tota Divinitas in eo est. *In Institutione Spirituali. cap: 8.*

Christus idem in Sacramento, qui in cælo.

ECclesiæ filii firmissimè credere debent sub specie panis, corpus Christi non minùs verè esse in Eucharistia, quàm est in cælo. Credere debent ad prolationem Sactatissimorum verborum, virtute Divina, non Sacrificantis merito, panem vinumq; converti in corpus & sanguinem Christi: adesse verum Corpus Domini in altari, cum numerosa Angelorum multitudine, & tamen ipsum idem in cælo ad dexteram Patris permanere. *In Collyr. Hæret. lib: 2. cap: 5.*

Item.

Non est aliud Corpus Christi in cælo

cælo, atq; aliud in Sacramento: sed unum omnino & idem utrobiq; est. *In Enchir. Parvul. ad finem. lib. 1.*

Ad divisionem specierum Corpus Christi non dividitur.

ETiamsi multis hominum millibus detur Eucharistia, quilibet eorum corpus Dominicum, totumq; Christum accipit. Si item unica hostia consecrata dividatur in plures partes, sub unoquoq; fragmento totus Christus est. Et nihilominus in cælo ad dexteram Patris manet corpus Domini integrum, manet totus Christus. *In Specul. Spirituali. cap. 11.*

Item.

Quamlibet multæ habeantur hostiæ consecratæ, sub qualibet earum integrum Corpus Christi subsistit: quemadmodum videmus eandem faciem humanam efformari integram in pluribus objectis speculis. Imò verò factâ unius hostiæ consecratæ divisione, sub singulis partibus separatis;

atis; integrum Corpus Christi consistit: veluti confracto speculo, facies hominis in quolibet fragmento exprimitur non minus integra, quàm in toto speculo. Quando autem frangitur & dividitur hostia consecrata, hujusmodi fractio sive divisio non fit in Christi Corpore, cùm jam immortale sit, suiq; sectionem nullatenus admittat: sed fit in Specie Sacramenti, nempe in figura panis. *In Enchir. Parvul. ad finem lib:* 11.

De Transsubstantiatione panis in Corpus & vini in Sanguinem Christi.

NOn arbitremur Corpus Christi ad enuntiationem Divinorum illorum verborum de cælo descendere, ut in altari adsit: sed inconcussa fide credamus ad eorundem verborum debitam prolationem, virtute Divinâ, non Sacrificantis merito, panem vinumq; converti, & (ut planiùs dicam) transsubstantiari in cor-

pus & Sanguinem Christi verè ibi præsentis, ipso nihilominus beatissimo corpore, in cælo ad dexteram Patris manente. *In Enchir: Parvul: ad finem lib. 1.*

De Eucharistia non scrutandum, sed credendum.

NOn tentes perscrutari istud, quomodo verum, vivum & immortale Corpus Christi sit in Sacramento Eucharistiæ? quin potiùs credens, nihil Deo impossibile, puram inviolatamq; fidem serves in his, quæ intellectu & ratione comprehendere nequis. *In Institutione Spirituali.cap: 8.*

Item.

Quid quærimus naturæ ordinem in Christi Corpore, quod præter naturam natum est ex Virgine. *Ad finem Enchir. Parvul. lib. 1.*

Item

Non magis licet inquirere, quomodo in sacrificio Missæ, Sacerdote verba consecrationis proferente, panis in

in Corpus Christi, & vinum in Sanguinem convertatur, quàm quomodo Deus ex purissimis S. Virginis Mariæ Sanguinibus, carnem sibi aptaverit. Vbi enim Deus aliquid operatur, non est quærendum, quomodo? sed indubitata fides his, quæ à Deo fiunt, adhibenda est. *In Enchir, Parv: ad finem lib: 1.*

Eucharistia reverentêr tractanda.

ANima cujusdam defuncti, cuidam Dei amico in flamma ardoris immensi apparens dixit, Se ea sola de causa tam duris cruciatibu torqueri, quòd circa Dominici Corporis perceptionem, fuisset negligentior: addiditq;. Si vel semel Venerabile Sacramentum devotè pro ipsa accipere dignetur, se mox liberandam. Quòd cùm ille Dei amicus fecisset, sequenti die anima eidem, sole fulgentior atq; nitentior apparuit: unica illa Sacramenti perceptione ab intollerabilibus pænis liberata,

berata, atq; ad cælum & æternam, beatitudinem evocata. *In Monili Spirituali cap. 6.*

Eucharistia frequenter sumenda.

NOn facilè te subducere debes à sacra cælestiq; mensa, in qua Christus verè sumitur, propter tentationes, quibus premeris: neq; conturbari, si sensibilis devotionis consolatione destitutus es. *In Corollar. Append. Document. 12.*

Utiliùs est & Deo gratiùs ex charitate sumere, quàm ex humilitate abstinere.

LAudabile est interdum ex humilitate ac Sancto timore, seu reverentia abstinere à Sacramentali Eucharistiæ perceptione: sed multò meliùs est ex charitate & Divinæ laudis boniq; communis desiderio, sive ex speciali devotione, frequentèr, ipsam Eucharistiam suscipere. *In Monil. Spirit: cap. 6.*

Dum

Dum non licet Sacramentalitèr sumatur Spiritualitèr.

DVm non sumis Christum Sacramentalitèr, non negligas eum sumere Spiritualitèr, præparans te & optans, ut illa in animam tuam adveniat. *In speculo Sprituali. cap: 12.*

Item.

Qui non sumit Christum Sacramentalitèr, potest illum sumere Spiritualiter, per sanctum desiderium, atq; ita fructum Sacramenti adipisci. *In Dictis Patrum cap: 16.*

Cum quali devotione communicandum.

NOn est necessaria magna devotio sensibilis, sed satis fuerit nullius peccati mortalis conscium esse, & Deo velle placere, & ad meliora semper niti. Casto quoq; timore & humili reverentia sic esse præditum, ut perceptione hujus Sacramenti te indignum fatearis. *In Dictis Patrum cap: 16.* *Item.*

Item.

Quando Sacrosanctam Eucharistiam suscepturus es, vide ne tremendæ atq; cælesti mensæ indignè assistas. Deprime Spiritum tuum, abde te in vallem profundæ humilitatis, confitere te esse peccatorem: ora Dominum, ut animam tuam purificare, suisq; meritis ac virtutibus exornare dignetur. *In Canone vitæ Spirit cap: 16.*

Cum quanta puritate accedendum.

SI quis sit Angelorum omnium naturali puritate præditus, Sanctorumq; omnium integritate ac Sanctimonia conspicuus, & mortalium omnium bonis operibus ornatus; nec sic tamen me percipere in Sacramento dignus foret. *In Dictis Patrum De Sacra Eucharistia Christus ait.*

De auditione Missæ.

QVoties interes divinissimo Missæ Sacrificio, Hostiam in eo per Sacerdotem consecratam offer devota

ta mente Deo Patri, in plenam expiationem & satisfactionem pro peccatis tuis: offer eam illi in odorem svavitatis & laudem æternam, pro tua omniumq; salute. *In Speculo Spirituali: cap. 12.*

De fructibus Eucharistiæ sumptæ.

CORpus Dominicum, qui cum debita devotione percipit, emundatur ab omnibus delictis: & etiam ab illis mortalibus peccatis absolvitur, quæ se nescit vel meminit admisisse, modò ita sit affectus, ut si illa se perpetrasse sciret, confiteri & pænitentiam agere vellet. Efficitur item particeps, omnium bonorum illorum, quæ Christus in vita, Passione, & morte sua promeritus est: imò & omnium illorum bonorum quæ ab Adam temporibus unquam facta fuerunt, atq; ad ultimum usq; electum sent. *In Institutione Spir. cap: 8.*

Item.

Venerabile Sacramentum Corporis Domi-

Domini libentèr sumendum. Nam ex humili, crebra devotaq; perceptione Eucharistiæ magis in vitæ sanctitate & Divina unione proficiet, quàm ex quolibet alio exercitio. *Ibidem ut supra.*

FIDES.

Catholica tenenda.

REtinE firmitèr orthodoxam fidem, credens sine aliqua hæsitatione, omnia, quæ canonicæ, & Sanctæ Scripturæ ab Ecclesia receptæ complectuntur: & quæ Spiritus Sanctus credenda nobis revelat, pronunciatq; per Ecclesiam. *In speculo Spirituali. cap: 1.*

Item.

Fidei Catholicæ per omnia inniti; & Patrum Orthodoxorũ vestigiis humilitèr insistere, Matrisq; Ecclesiæ dogmatibus firmissimè adhærere: non autem proprium sensum pertinacitèr sequi oportet. *In Canon: vitæ Spirit: cap: 16*

In

In sola fide Catholica salus.

SIne vera fide nemo placere Deo, nec salvus esse potest, quicquid alioquin bonorum agat operum. *In Farrag. Instit.*

Potiùs moriendum, quàm unicum fidei articulum abnegandum.

SI in eam veneris necessitatem, ut vel ipsam orthodoxam fidem negare, vel tormenta subire, mortemq; oppetere cogaris; tu potiùs millies (si fieri posset) morere; quàm ut aliquod impiæ abnegationis verbum aut signum edas. Nam si fidem sive Christum negaveris; negabit & Christus te coram Patre suo: nisi pænitentiam agens resipueris, sicut resipuit S. Petrus, qui post trinam negationem flevit amarè. *In Specul. Spirit. cap. 1.*

Item.

Fides Romanæ Apostolicæq; Ecclesiæ, quam Deus innumeris mira-

culis

culis comprobavit, quæq; tot jam sæculis inviolata permansit, tam certa atq; indubitata est, ut si millies mori possemus, toties utiq; pro illa retinenda ac tuenda libenter mortem oppetere deberemus. *In Conclu. Faculæ.*

HÆRETICI.

Hæreticorum opera bona non prosunt illis ad salutem, nisi dispositive, nullusq; illorum salvatur.

HÆretici atq; Schismatici, etiamsi modesti, benigni, Sobrii, & casti admodum appareant: etiamsi largissimas Eleëmosynas pauperibus tribuant: etiamsi assiduè Deum orent, & in precibus suis compuncti, multas lachrymas fundant: etiamsi vitam maximè rigidam ducant, & mira opera patrent: etiamsi corpora sua morti promptè intrepideq; obiiciant. Quia tamen superbi

ſunt, & ſcripturam falſis expoſitionibus pervertunt, unitatem Eccleſiæ ſcindunt, veram charitatem habere non poſſunt. Deus eos abominatur & à regno ſuo, tanquam graviſſimos hoſtes repellit: nec unquam ipſi ſalutem conſequentur, niſi humiles obedienteſq; facti, ſubiiciant ſe Matri Eccleſiæ, ac pravas opiniones ſuas deponant. *In Spec. Spir. cap. 1.*

Item.

Hæretici ab Eccleſia præciſi; licet in virulentis libris quos edunt, non nunquam bona intermiſceant, licet aliqua, quæ ex ſe utiliora ſunt doceant: licet Elèémoſynas faciant; & precibus dediti ſint, licet tormenta, atq; ipſam mortem intrepide ſubeant? nihil eis proſunt ea omnia: quia charitatem non habent nec habere poſſunt: cum Eccleſiæ Catholicæ unitatem, videlicet tunicam Chriſti inconſutilem per nefarias ſectas diſcindere nitantur. *In Collir. Hæret. cap. 8.*

Item.

Item.

Qui ab unitate Ecclesiæ Catholicæ, absq; ullo timore resiliunt, & ejusdem Ecclesiæ Decretis parere recusant. His nec lectio sacra, nec Eleémosynarum largitio, nec aliud quicquam, quod ex se bonum est, utilitatem aliquam adfert: & nihil faciunt, quod eis prosit ad salutem. *In Appendice Psychagogiæ in Conclus. opusc.*

Item.

Firmissime tene, & nullatenus dubites, quemlibet Hæreticum vel Schismaticum, In Nomine Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti, baptisatum, si Ecclesiæ Catholicæ non fuerit aggregatus, quantascunq; Elèémosynas fecerit: & si pro Christi nomine etiam sanguinem fuderit, nullatenus posse salvari. *In Collyr Hæret lib. 1. cap. 8. S. August.*

Item.

Constituamus aliquem castum continentem non avarum, non idolis servientem, hospitalem, indigentibus

ministrantem, non cuiquam inimicum; non contentiosum, patientem quietum, sobrium frugalem, sed Hæreticum: nulli utiq; dubium est, eum propter hoc solum quod Hæreticus est, regnum Dei non possessurum. *In Collyr. Hæret. lib. 1. cap 8.*

INTENTIO.

Simplex, seu recta, Quæ?

SImplex Intentio ea est, quæ nihil spectat nisi Deum. Ipsa virtutum omnium, finis initium, decus & ornamentum est. *In Farrag. Instit.*

Quàm accepta sit Deo.

BEeata Giertrudis audivit à Domino, quod tunc eximiam illi delectationem aliquis exhibet quando ad laudem ejus cogitat, aspicit, audit loquitur, vel facit aliqua utilia. *In Monil. Spirit. cap. 2.*

Finis

Finis omnium actionum nostrarum, solus Deus sit, necessum est.

COnsvescas omnia opera tua per Sanctam intentionem ad Dei honorem referre, consuescas tam illa quæ agis quam ea quæ pateris conjungere, atq; unire operibus & doloribus Christi, per orationem sive desiderium, sic vel similitèr.

Pater Sancte, ego in unione amoris prædilecti Filii tui omnes actiones meas tibi commendo, precorq; ut quidquid facio tu digneris suscipere ad æternam laudem nominis tui, & ad omnium hominum salutem. *vel brevius sic.* Domine ego ex puro tui amore, ad gloriam nominis tui æternam propono & desidero hoc agere, juxta gratam voluntatem tuam. *In Instit: Spiril. cap. 9. & In Tabell. Spir,*

Item.

Quæ agenda sunt, (etiam dum manducare, bibere, dormire, vel quodvis, aliquod solatium carni indul-

dulgere oportet) pure ad Dei hono-rem desideres. *In Speculo Spirituali. cap: 30.*

Item.

Quo purius intentionem tuam in Deum sine aliqua tui ipsius quæsitio-one direxeris, eò opera tua Deo ac-ceptiora & majoris meriti erunt, sive sint spiritualia, sive corporalia, sive magna, sive parva. *In Tabella Spirit.*

Item.

Infimum opus ejus, qui ex amore Dei seu propter Deum operatur, lon-gè maioris apud Deum momenti est, quàm supremum opus illius, qui hu-jusmodi scopum non habet. Vnde & majus meritum obtinet, qui illâ Sanctissimâ intentione comedit, quan-do comedere licitum est: quam ali-us qui jejunat, vel corpus suum aspe-rè castigat, aliâ intentione etiam bo-nâ, nempe ut obtineat æternas Para-disi delicias. *In Tabell: Spirit.*

Exigui actus Intentione bonâ facti quanta merces.

SI duo homines in eodem itinere constituti elegantem flôsculum invenirent; quorum alter cuperet quidem illum decerpere, sed melius deliberans, dimitteret eum propter Deum: alter vero nihil præmeditatus carperet florem: iste quidem simplicitèr decerpendo, non peccaret: at ille propter Deum dimittendo ipsum florem tantum præ decerpente obtineret meritum, quanta est distantia cæli à terra. Verum tamen si is qui docerpit florem, purè ad laudem DEI decerpat? etiam ipse maximum meritum acquireret. Itidem & qui convenientèr propter Deum à cibo abstinet, Deo valde placet: & qui convenienter ad honorem Dei manducat? etiam placet Deo. *In Monili Spirituali cap.* 2.

Item.

Si pietate ductus, cervicem tantum

 incli-

inclinaveris, ante Crucifixi IESU imaginem: vel ad altare Dei Genitricis MARIÆ flosculos obtuleris: aut pedem moveris propter charitatem? non frustraberis à spe justæ mercedis. *In. Canon vitæ Spirit: cap: 30.*

Item:

Nulla actio tam modica est, quæ si ad Deum pure referatur, non multum prosit animæ. Vnde etiam, qui unum flosculum propter Deum in altari reponit: vel imaginem alicuius Sancti sincerâ devotâq; devotione exornat. grandem mercedem recipiet. Sed & qui caput tantum inclinat, aut flectit genu ad honorem Dei non perdet mercedem suam. *In Specul: Spirit: cap: 5.*

Item.

Gratum Deo, remunerationeq; dignum esse, si quis pro honore atq; amore Dei etiam calamum è terra levaverit, aut passum unum fecerit. *In. Monili Spirit. cap: 2.*

JUSTITIA DEI.

Æquè diligenda, ac misericordia.

SIcut tibi placet dulcedo Divinæ Iustitiæ peccata dimittentis: ita displicere non debet pulchritudo Divinæ justitiæ peccata expiantis. *In Enchir: Parvul: lib: 2. cap: 4.*

Item.

Sicut diligis Divinam misericordiam, ita diligas & Divinam justitiam: adeô ut paratus sis ipsa quoq; inferni tormenta pro peccatis tuis sustinere, si decor Divinæ justitiæ id exigeret & Deus vellet. *In Instit: Spirit: cap: 8.*

Item.

DEUS sicut est summe misericors, ita est & summe justus: Non est misericors absq; justitia, neq; justus sine misericordia. Quare qui vult salvus esse, debet utrumq; pedem Domini amplecti atq; osculari; nempe pedem misericordiæ, & pedem justitiæ: de-

bet ita confidere, in infinita Dei misericordia, ut tamen in peccatis non perseveret, sed ad Deum ex animo conversus, justè & piè vivere studeat. *In Append: desumpta ex Libris Thauler: cap: 3.*

Iustitia Divina quàm rigorosa.

SAncta Birgitta, aliquando audivit (Deo sic volente) Dæmones testimonium veritati perhibentes, dicentes Domino. Si creatura illa, quam maxime dtligis (videlicet Virgo quæ te genuit, & nunquam offendit) peccasset mortaliter, ac sine Divina contritione mortua esset? ipsa cælum uon obtinuisset, sed nobiscum in inferno cruciaretur, adeò sic justitiam diligis, *In Monil: Spirit: cap: 1.*

Item.

DEus exactissimam rationem exiget temporis inutiliter expensi: omniumque levitatum, vanitatum, oblectationum, & affectuum indomitorum. Non relinquet nec minimam quidem culpam impunitam, quæ in hac vita expur-

expurgata non fuerit Vnde ipse in Evangelio dicit: De omni verbo otioso, quod locuti fuerint homines, reddent rationem. Hinc soror Sanctorũ Cosmæ & Damiani scribitur quindecem diebus in Purgatorio cruciatus sustinuisse, propterea, quod cum voluptate semel spectasset quosdam in platea tripudiantes, Beatus quoq; Severinus, legitur ipsas Purgatorij pænas defunctus sensisse, eo, quod diversis negotijs in aula Principis præpeditus, preces horarias neglıgentius sæpius persolvisset. *In Append: cap. 3.*

Iustitiæ Dei se committere, quàm sit meritorium homini viatori.

SI quis eo pertingere posset, ut Dei erga se justitiam perinde ut misericordiam exosculeretur ac diligeret, is revera peccatorum suorum omnium, atq; etiam pænarum illis debitarum, tam facile plenam obtineret veniam, quam facile una aquæ guttula in ardenti fornace consumitur. Multò enim

tò enim melius est Divinæ se permittere vel resignare justitiæ, quàm misericordiæ: eo quod major in illo sita sit mortificatio. *In Farrag: Instit.*

JUSTUS.

Iustus plus debet Deo, quam Peccator?

MAjùs beneficium est, à vulneribus permanere illæsum, quàm ab inflictis vulneribus sanari: itemq; præclarius est, & majori dignum gratiarum actione, servari à peccatis; quàm de admissis consequi veniam. *In Dictu Patrum cap: 14.*

Iustos, permittit tentari DEUS.

DEus salutem Electorum suorum, sæpè promovere solet ex his, quæ ipsis omnino contraria saluti suæ esse arbitrantur: unde & tentationes fædas, horrēdas, atq; infernales, eis nonnunquam accidere permittit. In talibus

bus se resignet Domino manens intus apud se. *In Instit: spirit: cap: S.*

Iusti quoq; & Electi habent naevos suos.

PLerumq; & in Electissimis suis amicis aliquid semper vitij Deus residere permittit: & ut plurimum ad iram & vehementiam proniores sint, qui & sibi innotescant, & alijs, atq; per hoc gratia sua quam illis iofudit, velut ignis sub cineribus occultetur & conservetur. Vt ergo nihilum suum penitus agnoscant, Deo permittēte defectus quosdam incurrunt, veluti est indignationis motus, aut durioris asperiorisq; verbi subito prolatio. *In Consol: Pusill: Thaulerus.*

Item.

Solet Dominꝰ permittere, ut in plerisq; suis Electis sibi charissimis, sēper aliquid vitij, atq; imperfectionis resideat: quo sibi ipsi vilescant, & humiles permaneant, *In Spec: Spir: cap: 7.*

MA-

MARIA.

Est clavicularia Regni cælestis.

SI MARIAM ex corde invocaveris, si ad illam humiliter & confidentèr te converteris? ipsa introitum regni, quem tua iniquitas, justitiaq; Divina tibi forte occludebat, aperiet. Mater enim misericordiæ & porta paradisi est. *In Canon: Vitæ Spiritualis cap: 36.*

Nullum peccatorem repellit.

DEus Pater Virgini Cathatinæ dixit: MARIÆ Vnigeniti Filij mei gloriosæ genitrici, à bonitate mea cōcessum esse propter Verbi Incarnati reverentiam, ut quicunq; etiam peccator, ad eam cum devota veneratione recurrit: nullo modo diripiatur à Dæmone infernali. Hæc enim est à me Electa, parata & posita tanquam esca dulcissima ad capiendos homines, & præcipuè animas peccatorum. *In Menil: Spirit: cap: 1.* *Item.*

Item

Nullum tam execrabilem orbis habet, quem B. V. MARIA abominetur, & à se repellat, quemq; dilectissimo Nato suo? (modo suam precetur opē) non possit sciat, & velit reconciliare. *In Dictis Patrum cap. 5.*

Item.

Virgo MARIA S. Birgittæ dixit.

QVantumcunq; homo peccet, si toto corde cum vera emendatione & charitate ad me confugerit? statim parata sum recipere venientem. Non attendo quantum quis peccaverit, sed quali intentione ac voluntate redit ad me. Nam peccator quamlibet vilis, & sordidus, non dedignor plagas ejus tangere, ungere, & salvare, quia vocor & vere sum Mater misericordiæ. *In Monil Spirit: cap: 1.*

Item.

Quam diu tempus gratiæ agitur, nequit benignissimos oculos suos à miseris & pænitentibus peccatoribus, ipsam invocantibus avertere. Con-

tinuas

tinuas enim pro eis fundit preces, ut germana Soror, Materq; fidissima, curam salutis eorum gerit. *In Dictis Patrũ cap: 5.*

Non perit, qui MARIAM colit.

FIeri non potest, ut pereat; qui MARIÆ sedulus & humilis cultor est. *In Canon: Vitæ Spirit: cap: 18.*

MARIA est spes unica desperantium.

SI criminum immanitate turbaris, conscientiæ fœditate confusus, judicij horrore perterritus, barathro incipias absorberi tristitiæ, & desperationis abysso? cogita MARIAM, non recedat ab ore, non recedat à corde. *In Consol: Pusill: S Bernardus.*

Item.

Quo quisq; se sentit pluribus peccatis irretitum, tanto justius sibi videatur ad MARIAM accedere: & quantùm est scelerarior, tantò majori jure ad MARIAM properare se putet. *In Consol: Pusill: sub.*

Vnica

Vnica Salutatio Angelica Mariæ, quandoq́; præstat toto psalterio.

SI vel unicam Salutationem Angelicam, cum tui ipsius abnegatione, ad perpetuam Dei laudem protuleris: ea, & Deo gratior, & tibi utilior erit; quàm si totum Psalteriũ sæpius ex propria volũtate legeres. *In Spec: Spir: c 5*

Devota recitatio Rosarij Mariæ, veniã gratiam, & gloriam meretur.

CVidam Carthusiano apud Triverim revelatum fuit. Quod quoties quis piè & Sánctè recitat Rosarium gloriosæ Virgini MARIÆ, cum articulis Vitæ & Passionis Christi? toties plenam peccatorum suorum veniam; simulq́; eximiam gratiam & eximium meritorum cumulum consequitur. *In Scriniolo Spirituali.*

Precibus MARIÆ qualibet hora, mitigantur pœnæ Purgatorij.

EGo sum Mater DEI, & Mater omnium qui sunt in Purgatorio: quia

quia omnes pœnæ, quæ debentur purgandis pro peccatis eorum per preces meas qualibet horâ aliquo modo mitigantur. Mater sum omnium justorũ, & etiam omnium peccatorum, emendare se volentium, quos defendere, & ab omni periculo salutis eripere non cesso. *B. V. M. ad S. Birgittam dixit, in Monil: Spirit: cap: 131.*

MISERICORDIA DEI.

Immensa.

DVm quisq; peccator à vitijs resurgens & ab eis integrè se avertens, Deo perpetuo servire, eiq; soli vivere statuit: adeô se illi benignum æterna illa, ac immensa bonitas exhibet, ac si nunquam in peccata illa corruisset. Omnia namq; peccata illi perfectè remittit, nec unquam illi ea imputabit, etiamsi tot essent, quot omnes simul homines commiserunt.

runt. Si tamen ex animo doleat purè ad gloriam Dei: & ideo potissimum suæ iniquitates displiceant, quod eas Deo displicere intelligit. *In Dictis Patrū cap: 14.*

Item.

Si quadraginta annis in peccatis vixissem & jam tempus resolutionis meæ instaret: si peccata purè confessus essem, meq; ipsum cum perfecto amore, ita ex fundo cordis mei, salatim unius Salutationis Angelicæ spatio in DEUM recipere & convertere possem, ut totus ad ipsum conversus, & ab omni peccato aversus essem: tunc planè purus & innocens homo ex hac luce migrarem. *In Consol: Pusill: Thaul:rus.*

Item.

Si centum annis ad ultimum usque vitæ spatium in mortalibus peccatis vixisses; & ob illa ex Divina justitia damnationi addictus esses atq; in ipso vitæ termino à peccatis aversus per confessionem, contritionem & pœnitentium

tentiam redires ad Deum; ejusq; gratiam tibi reconciliares: jam sententia illa & judiciũ damnationis mutaretur: & ipse ad sempiternam beatitudinem, revocareris. Vnde præscientia Dei est immutabilis; sed sententia & judicium in Deo est mutabile; si mutatus quoq; fuerit homo peccator per pænitentiam. *Quidam amicus Dei. In Consol: Pusill. De immenso Dei amore erga homines.*

Item.

Deus Benignissimus, tam inexhaustus fons est, prorsusq; immensæ misericordiæ, ac naturalis bonitatis, ut nunquam ulla, quamlibet fidelissima Mater proprio Filio suo, quem sub corde suo gestaverit, tam desideranter ac libentèr, in medijs flammis iacenti manum porrigeret adjutricem; sicut Deus homini contrito; etiamsi possibile foret, cum omnia totius mundi peccata, vel millenis vicibus quotidiè perpetrasse. *Henricus Suso, In Consol: Pusill,*

Item.

Item.

Quotiescunq; peccator á vitijs culpisq; se integrè avertens mihi perpetuo servire, & me diligere, mihiq; soli vivere, statuit: adeò me illi benignum exhibeo, ac si nunquam me offendisset. Omnia enim peccata illi remitto, etiamsi tot essent, quot omnes simul homines commiserunt; si tamen ex animo doleat purè ad gloriam Dei, & ob id potissimum displiceant illi suæ iniquitates, quod mihi eas displicere intelligit. *In Append: Explic: Paßionis Dñi. In persona Christi Anthor ait.*

Item.

Non sit peccatum oculis tuis adeò magnum, ut spem veniæ adimat: non videatur adeò numerosum, ut meam misericordiam possit superare. Nihil interest apud me, utrum à multis, an à paucis peccatis te liberem. Et magnus, & parvus peccator, æque egent misericordia mea, quæ inexhaurибilis omnibus fluit, & abundat. Non postet misericordiam meam, vincere

malitia tua, Quanto plura habes peccata, tanto ego libentius ignosco pænitenti. Eo enim magis elucet gloria mea, quo majori peccatori erogo misericordiam meam. *In Consol: Pusill. In interna allocutione Christi ad animam peccatricem. Joan: Lanspergius Carthusianus.*

Quàm promptus ad miserendum DEVS.

CErtissimâ indubitatâq; fide tenendum. Si totus mundus esset globus igneus, & in medium ejus fasciculus lini mitteretur: hic ex sua naturali inclinatione, non tam cito flãmarum reciperet incendium, quam recipit abyssus DEI miserationum peccatorẽ pænitentẽ & converti volentem. Quia in illa actione naturali requiritur aliqua morula, licet minima ac fortassè imperceptibilis: hic vero nulla penitus mora inter pænitentem & remittentem: inter gementem & gemitum exaudientem intervenit, *In Consol: Pusill: In Interna Allocutione Christi.*

Item-

Item.

In persona Christi idem Author ait.

QVando post lapsum humiltèr & confidentèr me invocas, tam repentè mundaris, quàm repentè purgatus est leprosus ille, cui dicenti. Domine si vis potes me mundare: respondit, volo, mundare. *In Appendice Explicationis Paßionis Dominicæ.*

Item.

Non tam parati ad peccandum esse possumus, quam ipse DEUS paratus est ad miserendum, si modo longanimitate ejus non fuerimus abusi: id est, si verè & tempestivè pœnitere voluerimus. *In Specul: Monachorum.*

Item:

Nullus ambigere debet cuncta peccata ejus qui cum vera Divinaq; contritione, & sancta spe amantèr ad Deum se se convertit, atq; erigit citius immensæ bonitatis illius abysso absorberi & consumi, quàm posset oculus aperiri vel claudi. *In Farrag: Instit.*

MORS.

MORS.

Mors bona, vitam bonam sequitur.

BOnam ac justam vitam non sequitur mala mors, sed pretiosa est in conspectu DEI: quocunq; etiam modo vitam hanc finiant, sive in aquis, sive in igne, sive in loco moriantur. *In Consol. Pusill. In alloc: Christi ad animam pœnitentem.*

Moribundos Dæmon ad desperationem impellit.

SOlet etiam Diabolus, eum qui in mortis angustijs constitutus vehementèr impellere ad desperationem: sed immensæ Dei bonitati ac misericordiæ humilitèr firmitèrq; confidere oportet. DEUS enim Omnipotens, ac salutis nostræ sitientissimus, cor contritum & humiliatum nunquam despicit. *In Dictis Patrum cap. 22. Ioannes Thauler,*

Mori-

Moribundus non disputet cum Dæmone.

HOsti tartareo dubia proponenti, respondere, & cum eo disceptare noli. In illa enim extrema hora, ipse Dæmon totis viribus integritatem fidei labefactare quærit: cui quisquis locum præbet, magnum salutis suæ discrimen incurrit. *Ibid: ut supra.*

Moribundus qùomodo debeat resistere Dæmoni.

VT absq; periculo prætervoles Diaboli laqueos, & felicitèr effugias ejus insidias, quibus nonnunquam migrantes affligere solet: interim dum adhuc compos es, sensuum tuorum, potes lingua, vel etiam mente contestari, & ex animo ignoscere omnibus qui tibi aliquando molesti fuerunt. & cupere in ea fide vitam hanc finire, in qua convenit obedientem Sanctæ Matris Ecclesiæ Filium mori; te credere universa, quæ à veris orthodoxisque Christifidelibus credenda sunt. Et si

quid vel impugnatione diaboli, vel violentia morbi huic proposito contrarium forte cogitares, loquereris, aut faceres? te nullo pacto assentiri tali absurditati. Hâc protestatione factâ, deinceps omnis impietatis susurria, quæ Diabolus obgannierit contemne & irride: imò verò nec animadvertas ea quidem, si fieri potest. *In Canon: Vitæ Spiritual: cap: 36.*

Moribundus, non confidat suis meritis.

MOriturus non innitatur bonis operibus, quæ se fecisse meminit; sed sanctâ constantiq; fiduciâ in dignissima Salvatoris nostri merita, profundissimumq; immensæ misericordiæ ejus pelagus se se cum universis peccatis ac negligentijs suis immerget, & in illius Sacrosancta Vulnera, inclinabit atq; demittet. Orabit eum ut pretioso Sanguine, quem fudit, pauperem ac nudam animam ejus omni culparum sorde abluat, Sanctisq; virtutibus ac

meritis

meritis suis vestire atq; exornare dignetur. *In Dictis Patrum cap: 20.*

Quo mortis genere moriendum, non curandum.

DE conditione ac genere mortis nihil hæreas, nullum est genus mortis, quod nocere possit justo. Iustus enim quacunq; fuerit præoccupatus morte, in refrigerio erit. Nihil itaq; solicitus sis, utrum domi an foris, in lecto an in âgro moriaris: nec cum formidine pertractes utrum violenta an naturalis erit mors tua. Vt autem benè ac felicitèr moriaris, stude sobriè, justè ac piè vivere. *In Consol: Pusillan: ad finem.*

Peccator moriens nec pænitens, æternalitèr perit, exigente id Dei Iustitia.

SI peccâtor qui criminibus sceleribusq; svis injuriam Deo intulit, veram contritionem & pænitentiam, antequàm anima ejus separetur à corpore

non habuerit? exigente Divinâ justitiâ in æternum peribit. *In Monil: Spiritual: cap: 1.*

Moribūdus non angatur nimiū quid cum ipso post mortem fiet.

SI forte angit te pavor, propterea quod ignores, quomodo te migrantem excepturus sit Deus, utrum ad æternam Paradisi requiem, an ad transitoriam Purgatorij pænam? non est necesse te aliquid horum scire. Ista certitudo tibi sufficiat, quod habeas Dominum pijssimum, qui peccata misericorditèr delet, qui bonam voluntatem tribuit, qui & potest, & vult salvare, si humiliatus confidas in eo, non in te, *In Canone Vitæ Spirit: cap 36:*

In mortis agone quid agendum.

MOriturus quisq; meritis Salvatoris nostri IESU CHRISTI magis, quàm suis innitatur. In illius bonitate, & in precibus, B. V. MARIÆ, ac Sanctorum Electorumq; DEI satis confidat. CHRISTI amarissimam Passionem mortemq;

temq; sibi proponat, & ineffabilem illam charitatem, quæ eum tam indigna sustinere coëgit, memoria repetat: atq; in patentia vulnera, & in profundissimum pelagus immensæ misericordiæ ejus, se se cum universis peccatis atq; negligentijs suis demittat immergatq;. *In Consol: Pusill: de bona & felici morte.*

Item.

Is qui morti jam vicinus est, Passionem amarissimam, mortemq; pijssimã Domini IESU, & indicibilem ipsius charitatem, quæ eum pati & mori coëgit devotè recolet, sibiq; ante mentis oculos proponat: atq; ita spiritum, animam, & corpus suum curabit pro modulo suo unire cum ferventi Spiritu, afflicta anima, sautioq; corpore ipsius Christi. *In Dictu Patrum cap: 24.*

Item.

Moriturus quisque retineat firmiter Catholicam fidem, & sanctè suscipiat Sacramenta Ecclesiæ; si commodè obtinere potest, ac meritis Iesu Christi, magis quàm suis innitatur. *In preci-*

bus & pietate B. V. MARIÆ, aliorumq́; Sanctorum confidat, Crucifixi IESU Imaginem sibi ante oculos statuat, & ineffabilem illam charitatem, quâ DEUS noster pati, moriq́; voluit memoriâ repetát, atq; ita se totum in cruenta ejus vulnera demittat, & reclinet: obsecrans eum ut in eisdem Sacris Vulneribus omnia suâ peccata delere dignetur. *In Monil: Spirid: cap: 14.*

Consolatio Moribundorum.

Quibus ponitur Modus bene moriendi, ex hactenus dictis.

VNum est, quod multos expertos in morte perterrere solet, eisq; mortem adfert acerbam & anxiam: id videlicet. Quod dum præteritos annos, dissolutamq; & málè trãsactam vitam reducunt ob oculos, grãdiq́; se debito obligatos Deo sentiunt: neq; in illá hora satis perspiciunt, quid ad id facere debeant. Sed hac in parte certum

tum tibi præstábo consilium ex Divinis literis & ipsa veritate petitum.

Si tu quidem in diebus tuis perperam te vixisse nosti; sicut pauci immunes à vitijs vivunt? inde non nimium in extrema horá terreri debes. Postquam Sacrámentis munitus es, (si ea commmodè possis obtinere) Crucifixi Imaginem tibi ob oculos statuas, eamque intuearis & tuo apprimas pectori, atq; in sanguinolenta immensæ misericordiæ ejus vulnera te reclina: obsecrans eum, ut in ipsis cruentis vulneribus suis, Diviná Virtute suâ, omnia peccata tuâ abluat, pro sui laude, & tua indigentia vel necessitate. Ac deinde fide mea securus esto (juxta Ecclesiæ Catholicæ fidem, quæ nulla ratione fallere potest.) Si id firmitèr ita possis agere? te à cunctis vitijs penitùs absolutum esse, & hilaritèr mortem posse oppetere. Poteris vero sic vel similiter orare.

BEnignissime Domine IESV CHRISTE, ecce jam tempus resolutionis

meæ instat: ecce jam separabitur anima mea à corpore, & ratio totius vitæ meæ, tibi justissimo Iudici reddēda erit. Non te latet. dulcissime IESU: multiplicatas esse iniquitates meas, super arenam máris: vides à planta pedis, usq; ad verticem capitis non esse sanitatem in me, & nisi gratia tua adjuvaret me; crescerent quotidie delicta mea, usq; ad cælum. Quomodo ergo comparebo ante conspectum Divinæ Majestatis tuæ? quæ mea mecum portabo merita? quibus me defendám medijs ánte Tribunal tuum? O Iuste Iudex ultionis? Alij quidem Domine IESU consolabuntur se se vitæ suæ innocentiâ; Alij magnis exercitíjs & asperâ vivēdi ratione; Alij atq; alij, alijs, & alijs studijs suis & meritis innitentur. Sed hæc omnia in me nulla sunt: Verum scio quid faciam misericordissime DEUS: totam spem & consolationem meam in tua Passione, in tua satisfactione & expiatione, in tuis meritis collocando, & repositam habendo: totum me & animā

meam

meam in sanguinolenta misericordiæ tuæ vulnera reclino: obsecrans ut in ipsis cruentis vulneribus tuis, Divina virtute tua omnia peccáta mea abluas pro tui laude & mea indigentia ac necessitate. Ecquis desperet misericordissime Deus, quamvis peccator scelestissimus, cum pro ijs tibi Domino meo misericordissimo, tua inquam verbera, oppro bria vulnera, & tormenta offerat. Cum Magdalena itaq; ingemisco, & tundo pectus meum cum Publicano, ne repellas me ad tuos pedes prostratum. Permitte Domine IESU CHRISTE, ut meæ lachrymæ misceantur tuo Sanguini, & misereberis. Exue personam Iudicis, & indue Patris. Sitq; permissum tibi Domine ex me, ut me, vel brevi, vel post longa annorũ curricula, tollas è medio: etiam si hac horâ discedendũ esset de corpore, atq; in tui vergeret laudem, ut annis quinquagintá flammis Purgatorij cruciarer: illico me in tui venerátionem, sub pedes tuos abijcerem, animoq; libenti in honorem tui,

 pænas

pœnas illas exciperem diceremque: Benedictus ignis ille expiatorius in quo tui laus in me perficitur. *Henricus Suso admonens quendam amicum, ut parato animo excipiat mortem.*

Hæc etiam verba, auribus morientium ingesta multum prosunt.

DOmine Deus, ego sum miser ille quem tu pro Paterna bonitate tua creásti, & per ignominiosissimam mortem Vnigeniti tui de potestate inimici redemisti. Tu solus imperium & Dominium in me habes, meq; salvare potes secundum immensam misericordiam tuam.

Ipse Deus amicis suis revelare dignatus est prædictas orationes fidelibus morientibus recitatas, vel ab ipsis piè prolatas cogitatasve, miræ virtutis esse: adeò ut quilibet fidei Catholicæ cultor perire nequeat, si in extremis constitutus, vero integroq; corde illas humiliter proferre, aut apud se revolvere potuerit. Blosius in Appendice desumpta ex lib: Ioannis Thauleri cap: 3.

OBEDIENTIA.

Est virtus Deo gratißima, homini utilißima.

OBedientia, tanta virtus est, ut vel minimum aliquod opus ex ea factum, qualecunq; illud fuerit, multò meliùs Deoq; acceptiùs sit quolibet alio opere, quamlibet etiam magno, quod sine obedientia peragitur, sive sit Missæ auditio, sive lectio, sive oratio. sive contemplatio, seu quodlibet bonum opus quod excogitari possit. *In Apologia pro Thaulero cap. 6.*

Item.

Tanta virtus est obedientiæ, ut Patres asserunt, majus esse meritum ejus, qui libentèr quidem ad honorem Dei jejunaret: sed ex præcepto Superioris, vel ex sacræ Religionis constitutione, etiã carnes sobriè continenterq; manducat; quàm sit meritum illius, qui pane & aquâ contentus jejunat ex propria devotione, *In Instit: Spirit: cap: 8.*

Est

Est via quâ itur ad cælum.

OBedientia, quâ homo bonæ voluntatis se submittit, & non vult ex seipso vivere, sed cuncta opera & negotia sua (maximè ea quæ ardua sunt) peragit ex salubri sanctoq; consilio alicujus Spiritualis atq; illuminati confessoris: via ad cælum tutissima est, quâ facillimè retia Diaboli evaduntur. Qui vero non habet aliquem hominem idoneum cui in omnibus obediat, & ex consilio opera sua peragat? paratam nihilominus retineat voluntatem obediendi si talem haberet. *In Monil: Spirit: cap:* 7.

Obedientia prompta, Christum infantem, in ætatem virilem, brevi excrescere fecit.

VIrgo quædam in monasterio degens & Divino amore flagrans, quum aliquando immenso dilectissii Sponsi sui IESU Christi desiderio teneretur sic illum ex toto corde suo alloquuta est: O Vnice Fili DEI amabilis redem-

Redemptor animæ meæ, utinam vel ad momentum te in hac vita cernere possim. Ad quæ verba mox adstitit illi ipse Dominus noster Iesus Christus in forma cujusdam pueruli. Contigit verò ut una ex Sororibus congregationis januam cellæ illius devotæ Virginis pulsaret, eamque cum festinatione ad commune aliquod opus ex obedientia faciendum accerseret. Audiens Virgo Sancta jussionem obedientiæ, puerulo Iesu ait: En dulcissime Domine Iesu Christe pro explenda obedientia abeo: tu interim me hîc expecta obsecro, si tibi placet, donec ad te redire liceat. His dictis, è cella exijt: & quod facere jussa erat, animo voluntario hilariq; vultu peregit: Deinde magna cum celeritate ad cellam reversa: quam quum aperiret, mira quædam & radiantissima lux oculis se ejus ingessit, adeò ut vix eam sustinere posset. Vidjt igitur amantissimum Dominum suum in perfecta ætate tanquam elegantissimũ juvenem viginti & quatuor annorum ad-

stantem,

ſtantem. Vnde ipſa maximo gaudio repleta, ita eum affatur. O dilecte mi IESU, quomodo tam grandis, tantillo tempore factus es, qui tam puſillus apparebas; quum à te recederē? Dic obſecro, dic unica ſpes mea, quî id factum ſit. Cui pius ac dulcis IESUS reſpondit: O filia chariſſima, profunda velocis atq; impigræ obedientiæ tuæ humilitas, me tam brevi tempore tam grandem effecit. Semper ergo mei amore libenter obedi, ſi mihi continuè ſine medio optas uniri. Poſt quæ verba Dominus diſparuit. *In Apologia pro Thaulero cap: 6.*

Majoris meriti eſt, vilia opera ex obedientia facere, quàm heroica ex propria voluntate.

OPus minimum ex vera obedientia factum, magis Deo placet, quàm grande opus ex propria voluntate peractum. Vnde melius eſt ex ſimplici obedientia, urticas & zizania extirpare, quàm ex propria voluntate ſublimi

rerum

rerum cælestium contemplationi operam dare. *In Tabella Spirituali.*

Item.

Malis folia, & quisquilias arborum per obedientiam colligere, quam secundum propriam voluntatem, magnis operibus, sublimibusq; exercitijs insistere. *In Instit: Spirit. cap: 8:*

Item.

Melius est sobriè & continenter ad gloriam DEI ex obedientia manducare, quàm rigidam antiquorum patrum abstinentiam ex propria voluntate sectari. Quidquid purè per obedientiam fit, quantumvis vile & abjectum esse videatur, Deus magni facit & eximia mercede remunerat. Nullum opus Deo placere potest, cui inobedientia conjuncta est. *In brevi regula Tyronis Spiritualis.*

Item.

Beata Virgo MARIA dixit ad S. Birgittam. Sint duo homines, alter sub obedientia; alter libertate sua vivat. Si is qui liber est piè jejunet: simpli-

com

cem habet mercedem. Si verò ille qui vivit sub obedientia non jejunet? sed continenter comedit etiam carnes secundùm constitutionem Regulæ suæ: magis tamen cuperet jejunare, nisi obedientia obsisteret? consequitur duplicē mercedē, unam videlicet propter obedientiam, alteram propter desiderij voluntatisq; propriæ abnegationem. *In Monil: Spirit: cap: 7.*

Verus obediens, Quis?

VErus obediens est, qui non solum Majoribus, sed & sibi æqualibus, atq; etiam minoribus alacritèr in his quæ licita sunt obtemperat. Non discutit apud se, quam juvenis, aut imperfectus sit superior, qui jubet: non judicat frivolum, vel inutile esse, quod præcipit: sed audito ejus mandato, mox omnibus alijs, quæ tunc intermitti possunt intermissis, animo paratissimo jussa exequitur: non tanquam homini, sed tanquam DEO obedientiam impendens, & propter DEUM etiam præsidentem minus rectè viventem

ventem reverentèr honorans, sincerũq; ac dulcem affectum, & benevolum animum, erga eum gerens: memor verborum illorum Domini Iesu. Qui vos audit, me audit, & qui vos spernit, me spernit. *Lucæ 10: In Enchir: Parvul: lib: 1 In Aepend: Documenti 5:*

In Obedientia Ordo servandus.

OBedi Deo, obedi Ecclesiæ Catholicæ, obedi his, qui vices Dei gerũt; obedi Antistitib9 tuis, eosq; reverere, etiamsi minus recte vivere videantur. Nam si his non obedis? Deo non obedis. Ipse enim dicit. Qui vos audit, me audit, qui vos spernit, me spernit. *In Canon Vitæ Spiritualis, cap: 27.*

Item.

Qui Præpositis suis rebellis est, & obtemperare non vult, Divinam gratiam à se excludit, nullaq; ratione Deo placere potest, quamdiu talis est. *In Tabell. Spirituali:*

Inobediens est inimicissimus Deo.

QVi obedire non vult in his, in quibus obedire debet; & audax, fe-

rox,

tox, atq; contumax est in Præpositos suos: is inimicissimus Deo est. *In Specul: Spirit: cap: 2.*

Est quoq; Diabolo similis.

QVi Prælatis suis amarulentèr obmurmurat, & contradicit, superbèq; resistit? Diabolus veriùs quàm homo nuncupari potest. *In Dictu Patrũ cap: 8.*

Inobediens graviter punitur in futuro saeculo.

QVædam eximiæ Sanctitatis Virgo, videns in spiritu animam cujusdã Monachi pœnis Purgatorijs gravitèr torqueri, qui tamen satis probè vixisse putabatur, interogavit Deum, quam ob causam illa anima non esset in cælo. Cui Dominus in hunc modum respondit. Iste Monachus voluntati Abbatis & Præpositi sui in omnibus bonis humilitèr consentire atq; obtemperare noluit: displicuit enim ei quidquid Abbas faceret, existimans se sapientiorem illo esse & mélius quælibet posse agere. *In Specul: Spirit: cap: 2:*

OPVS

OPUS BONUM.

Quàm gratum Deo.

QVi prudentèr propter DEUM, continet se, nec id quod necessarium, vel utile non est aspiciat. audiat, odoretur, gustet, loquatur, tangat, quiq; propriæ voluntati aut sensualitati etiam in rebus minimis, cum discretione reluctatur, rem Deo magis gratam facit; quàm si multos mortuos ad vitam reuocaret. *Christus ad S. Birgit: dixit. In Monil Spir: cap: 2.*

A Deo inhoandum.

QVando vis quidquā aggredi, erige cor tuum ad Dominum, & pete auxilium ab eo, illumq; invoca: sciens te neq; agere, neq; dicere quidquam posse, quod ei sit acceptum; nisi ipse gratiâ suâ te adjuvet *In Spec: Spir: cap: 5.*

Opera nostra operibus Christi uniendα.

SI tu bona opera tua, quæ ex se nimis imperfecta sunt, Sanctis inserueris,

atq;

atq; univeris operibus Christi ? efficientur nobilissima quemadmodum guttula aquæ missa in vinum, nobilem vini colorem ac saporem accipit. Itidem si ea quæ te gravant, tibiq; molesta sunt univeris Passioni, seu doloribus Domini Iesu, erunt maximi meriti, ac dignitatis. *In Dictis Patrum, cap: 11.*

Opera bona, unico respectu Dei facienda.

QVando metu pænæ aut amore virtutis gloriæq; regni cælestis movemur ad agendum, boni quidpiam: Bonum quidem hoc est, non tamen est perfectum. Certè cum voluntas DEI infinitè præstantior sit, quam nostra: par est, ut illa magis nos moveat, quam nostra propria. *In Append. Tabell. Spirit.*

Item.

Faciamus quælibet opera nostra purè propter Deum, seu propter infinitam ejus bonitatem, quæ nos compellit, ut ipsum amemus, eiq; serviamus potius, quam propter nos utilitatemve nostrã. Nam illud excellit istud longè magis, quam

quam Sol omni suo splendore excedat tenuissimum lumen exiguæ candelæ. Et eam ob rem infimum opus ejus, qui ex amore Dei, seu propter Deum operatur? longè majoris apud Deum momenti est, quam supremum Opus illius, qui hujusmodi scopum non habet. Vnde & majus meritum obtinet, qui illa Sanctissima intentione comedit, quando comedere licitum est; quam alius qui jejunat, vel corpus suum asperè castigat, alia intentione, etiam bonâ. nempe ut obtineat æternas paradisi delicias. Iste scopus istum non minus, imò multò amplius superat dignitate, quam totus mundus, unam avellanam magnitudine *In Append: Tabellæ Spirit:*

Imperfecta quomodo perficienda.

OPera atque exercitia tua divino cordi Christi emendanda perficiendaq; commendes; & illa Domino IEsu aut Deo Patri offeras in laudem æternam, ad salutem totius Ecclesiæ, in unione Sanctissimorũ operum & exercitiorum ipsius IEsu Christi. Si enim

hoc

hoc feceris, ipsa eadem opera & exercitia tua, quæ ex se vilia atq; imperfecta sunt, nobilissima Deoq; acceptissima erunt. *In Brevi Regula.*

Item.

Commenda operâ & exercitia tua Sanctissimo atq; mellifluo cordi IESU Christi emendanda, perficiendaque. Maximè enim id expetit cor illud amantissimum, & semper paratum est imperfecta tua excellentissimo modo perficere. *In Speculo Spirituali, cap: 7.*

Opus bonum, nullum irremunerabile, nec malum impunibile.

IN veritate certum est, nullum quantumlibet exiguum bonum in homine carere remuneratione. Nec ullam quantumvis parvam culpam esse, quæ non purgari debeat, ante, vel post mortem.

Etiam externa grata Deo.

FRequens & pura oratio, plurimum quidem ornat animam ejus, cui vacat crebrò orare, attamen etiam opera externa propter Deum rite peracta, magnum

magnum decorem inferunt animæ fideli. *In Monil: Spirit: cap: 5.*

Discrete nihilominus operanda.

IEjunare, orare, visitare loca Sancta, sunt quidem bona opera in se: sed nisi discretè, humilitèr, & cum charitate fiant, non merentur vitam æternam. *In Monit: Spirit: cap: 7.*

Opera mala proximi, excusanda.

FActa aliorum non judices, etiamsi quidpiam vitij in eis deprehendere tibi videaris: sed potius excusa ac in melius interpretari coneris. Quod si factum excusare non possis, saltem intentionem ejus qui fecit, quoad poteris excuses. Si nec id potes, cogites eum inscientem, aut ex infirmitate illud fecisse. Quod si nulla ratione vel excusare, vel quidpiam prætexere queas, nihilominus relinquas Deo judicandum: persvadeas autem tibi eum graviter à Dæmone impugnatum fuisse, & te multò pejus fortassis fuisse acturum, si tam acritèr fuisses impugnatus: agasq; gra-

tias

tias Deo, quod à tam periculosa & infestâ tentatione sis servátus, atq; cum ingenti commiseratione preceris Deum pro illo. *In Dictis Patrum, cap: 15:*

Operum bonorum duo sunt genera.

DVo sunt bonorum operum genera. Quædam viva, quæ à viro probo & Dei amico eduntur. Alia mortua, quæ à peccatore. Hæc, nec post conversionem quidem peccatoris, tametsi nobilissima esse videantur, quidquam valent. Quia quicquid agit peccator extra gratiam & charitatem constitutus, nihil valet ad salutem comparandam. Disponitur quidem homo peccator orationibus, jejunijs, elèémosynis, aptiorq; redditur ad gratiam & virtutes à Deo accipiendás, sed nihil ponit in cælo, quod post hanc vitam inveniat. *Coster: lib: de 4 Noviss. de Iudicio Noviss:*

Quodsi autem vir justus usq; ad extremam ætatem justitiæ operam daret: jam autem uno lethali peccato Deum offenderet? nihil illi totius anteactæ

ætatis

ætatis probitas apud Deum prodesset, sed potius obesset, quod tunc suave Christi jugum abijceret, quando ad metam pervenisset. *Idem, Ibidem:*

Opera bona in mortali peccato facta non sunt meritoria ex condigno.

OPera bona ab homine peccatore peracta, neq; vivunt, neq; unquã victura sunt: hoc est. Nihil valent ad vitã æternam promerendãm, neq; unquãm quidquam valebũt, etiamsi in gratiam cum Deo redeat peccator: quia vitam nunquam habuerunt. Similiter opera bona meritaq; ante peccatum collecta, per peccatum ad nihilum recidunt, ut quamdiu peccatum in homine perseverat, nullam vim habeat ad gratiam & salutem homini conciliandam. Si tamen ad mentem redeat peccator reviviscunt omnia ejus opera bona ante peccatum edita, atq; in Thesaurum cælestem, unde ejecta fuerunt revertuntur. *Idem Ibidem.*

ORATIO.

Præstantissima Quæ?

NIhil melius postulare, nullam præstantiorem Orationem fundere potes coram Deo: quam ut petas fieri voluntatem ejus. *In Speculo Spirit: cap: 9.*

Item.

Meminisse te vellem nullam orationem digniorem esse, precatione Dominica, & Salutatione Angelica. Quaslibet alias orationes Sanctas, velut bonas margaritas dilige: sed ipsam precationem Dominicam & Salutationem Angelicam, tanquam pretiosissimos & incomparabiles uniones habe charissimos. *Blosius in Epistola ad Florent.*

Item.

Inter omnes preces, quas Christus in hoc mundo fudit: illa Summa atq; excellentissima fuit, quam imminente Passione fecit, dicens: Pater, non mea, sed tua voluntas fiat. *In Corollar: Tabella Spiritualis.* *Item.*

Item.

Quandocunq; aliquid piè & sanctè petitur in Nomine Filij sive per Filiū: Deus Pater gratissimam habet petitionem: cum nihil illi charius sit, ipso Filio suo. *In Instit: Spirit: cap: 9.*

Oratio assidua, quæ?

SI bene vivis, si à peccatis te abstines, si tempus utilitèr expendis, si te in conspectu Domini verè humilias, ad Deum & cælestem Patriam suspiras, semper precaris, Sancta enim Vita, sanctumq; desiderium coram Deo, assidua Oratio est. *In Canon Spirituali, cap: 34:*

Orandum cum intentione.

PEte tibi à Deo ignosci, non ob hoc potissimum, ut pænam evadas aut perditam gratiam, virtutes, & jus ad cælestem gloriam recuperes, sed magis, ut accepta venia sis Deo gratior, eumq; ames, & ab eo non separeris. *In Tabella spirituali.*

Orandum cum attentione.

Christus ad S. Birgittam dixit.

QVicunq; fide & voluntate perfectâ, legit hæc verba. Iesu miserere mei: magis mihi acceptus est, quam is qui mille versus sine attentione pronuntiat. *In Monil: Spir. cap: 5:*

Orandum cum fiducia.

SI duo simul preces funderent, quorum alter rem ejusmodi peteret, quæ pene videretur impossibilis: confideret tamen se à Deo exauditum iri. Alter verò pro re minima postularet, sed non plenam fiduciam haberet erga Dominum. Ille qui rogaret pro re maxima, & difficili, multò citius, ob meritum fiduciæ suæ exaudiretur, quàm alter, qui rem modicam modicâ fiduciâ postularet. *In Speculo Spirit: cap: 6.*

Orandum cum discretione.

NOn sis in affectibus & aspirationibus ad Deum nimius, vel vehementior quàm oportet: sed indiscretionis

tionis moderationem diligentèr ſervato: ne caput lædas, & naturam prægraves ac deſtruas. Quando autem contingit te dolorem aliquem ex Spiritualibus exercitijs contrahere ac ſentire, offer illum Deo in laudem æternam, & patiens eſto. *In Specul. Spirit. cap. 10.*

Item.

Caveat ſervus Dei, ne nimietate exercitiorum naturam ſuam prægravet ac deſtruat: quod contingere ſolet his, qui nullâ virium ſuarum ratione habitâ, mox imitari volunt, quæcunq; ab alijs facta eſſe vident, vel audiunt. Igitur ipſa exercitia ſua cum diſcretione moderata ſemper colat: Deoq; & rebus Divinis libero atque hilari corde vacet abſq; ſui gravamine aut anxietate. *In Farragine Inſtit. ſub Titulo, Hæc notatu digna.*

Orandum in ariditate.

QVando Spirituali cognitione, ſenſibiliq; gratia & devotione ſubtractâ tardum, pauperem, frigidũ,

ac velut à Deo derelictum, projectumque te sentis: quando afflictus prætædio dormiens, & tantâ mentis instabilitate fatigaris, ut in Sanctis cogitationibus nullâ ratione persistere possis? non propterea putare debes, quod cælesti Sponso displiceas. *In Consol: Pusill: Quidam Scriptor.*

Item.

Plerumq; Deus ibi per gratiam suam maximè adest ubi minime sentitur sensibilis consolatio. Et sæpe homini melior est ariditas cordis, quam esset profusissima abundantia svavitatis. In ariditate enim, & sterilitate, homo clarius agnoscit, se ex se nihil posse. *In Instit: Spirit: cap. 7.*

Distractio tamen voluntaria in orando cavenda.

CAveat is qui orat, ne voluntariè ac data opera per gravem negligentiam inter orandum mente distrahatur: caveat item ne orationem propterea deserat, quod in ea nullam forte consolationem sentit. Sane sicut

cut mentis distractio, quæ præter voluntatem orantis accidit, fructum & utilitatem Orationis non tollit, ita nec cordis ariditas dum bona voluntas adest. *In Monil Spirit: cap: 3.*

In Oratione suggestiones Diabolicæ contemnendæ.

NVllo modo Orationis studium negligendum aut omittendum est, propter aliqua adversantia, sive ea procedant ab illusione Satanæ, sive à fragilitate propria, sive à cogitationibus immundis, sive ab inordinatis stimulis, & carnali motu corporis. Frequenter enim Diabolus Orationis tempore animam varijs imaginibus & phantasmatibus magis infestare conatur, quàm extra tempus orationis. *In Monili Spirit: cap: 3.*

Item.

Pleriq; quando Sacratiora sunt tẽpora, & ipsi se ad Deum libentiùs convertunt, tanto magis afflictio eorum augetur: ita ut nec unam quidem Orationem Dominicam, vel Salutati-

onem Angelicam absq; Diabolicis susurris explere liberè possint Vnde & ipsi in quandam velut desperationem labentes, Orationem à se abijeiunt, & hoc pacto sibi ipsis loquuntur. Quid putas? ista tibi oratio prodest sordibus conspurcata? Sed in hoc nimiũ errant, & suo adversario penitus obsequuntur: cujus hoc præcipuum studium est, ut eos ab exercitijs Spiritualibus repellat. Nesciunt certè, quod oratio ipsorum, cum omnibus immissionibus illis de quibus dolent, optime sapit, & verè accepta est, ante conspectum Divinæ Majestatis *Henricus Suso, In Consol: Pusill; & in Append: ex lib: Ioann: Thauler: desumpta.*

Item.

Quâcunq; tentatione tentaris, in Oratione, nihilominus ora, & conare ad orandum: quia desiderium & conatus bonus, reputabitur pro supplendo defectu orationis. Et si sordida advenientia menti, eijcere non poteris? tunc ille conatus reputabitur tibi

pro

pro corona: dum modo tentationibus non consentias, & sint contra voluntatem tuam. *B. V. Maria ad S. Birgittam Revelat: lib: 6 cap: 94.*

Distractiones involuntariæ in orando non curandæ.

Si inter psallendum & orandum, non potes esse, satis attentus? non ob id deijciaris animo. Nam etiam ea precatio, quæ cum distractione cordis peragitur, fructuosa est, & à Deo suscipietur: Si modo is qui orat patitur invitus hujusmodi distractionem; & placidè facit quod in se est: bonam voluntatem Deo exhibens studioséq; ac reverentèr precibus insistens. *In Brevi Regula Tyronu Spirit.*

Item.

Quamvis in orationibus tuis, attentus esse nequeâs; non ob id perturbari, aut orationis exercitium deserere debes. Quia mentis instabilitas, & distractio, quam quis inter orandũ præter voluntatem suam patitur, Ora-

tionis fructum non tollit. *In Tabell. Spirituali.*

Item.

Si tam instabilis atq; volubilis fuerit mens tua, ut verbis orationis attendere non possis, nequaquam ob id indignèris, neq; deijciaris animo, sed grato, placido, tranquilloq; spiritu, fac quod in te est, bonam voluntatem Deo offerens, & constantem patientiam exhibens *In Canone vitæ Spir. c 15.*

Ab Oratione in ariditate non cessandum.

SI tibi Oranti aut Sacrificanti, aut Divina meditanti aut Sacræ lectioni insistenti, aut quodvis aliud sanctũ opus facienti, deest sapidus ille devotionis affectus? perge tamen in incæptis, & par concipiens desiderium placendi Deo, offer illi cordis sterilitatem ac laborem in laudem æternam. *In Canone Spirit: cap: 26.*

Item.

Quodsi fortè inter legendum, nullum aut modicum saporem intrinsecus

cus sentis, nihil inde turberis: sed etiã arido corde ista humilitèr & reverentèr lege ac relege, pro Dei amore & gloria. *In Canone Spirit. ad simpliciorem Lectorem.*

Oratio etiam distractè persoluta, placet Deo.

QVando ex humana fragilitate aliquis distrahitur, Deoq; negligentius intendit, non idcirco arbitretur orationes suas prorsus inutiles esse, & reijci ab ipso Domino, qui pro sua ineffabili clementia atq; bonitate omnia opera nostra æterna remuneratione digna reputat. *In Enchirid. Parvull. In Append. Documenti 12.*

Itidem insipida.

NVnquàm Deus parvi pendit orationem hominis bonæ voluntatis, sed eam mox in libro suo scribi jubet, quamlibet etiam insipida sit ei qui illam rite peragit. *In Tabella Spirit.*

In Orando lachrymæ non curandæ.

SI tibi in Orationibus, vel meditationibus, atq; exercitijs sanctis desunt

sunt lachrymæ externæ, non id te perturbet. Nam homini Deo placere cupienti, non desunt internæ lachrymæ; & licèt oculi ejus non plorant; plorat tamen cor. Pro lachrymis quas non habes, offer Deo Patri lachrymas Christi *In Specul. Spir. c. 10.*

Etiam minima Oratio non caret merito.

FIeri non potest ut etiam minima precatiuncula ritè fusa, aut minimus gemitus, minimumve suspirium ad Deum piè emissum grandi fructu careat. *In Specul: Spirit: cap' 6.*

Oratio Mentalis præstat Vocali,

PRecatio exterior quæ ore tantum funditur, veluti palea est, interna autem Oratio quæ funditur mente, ipsum granum est, illa quæ & mente funditur & ore profertur, Deo multum grata est. *In Instit. Spirit: cap. 8.*

Oratio etiam linguâ ignotâ, placet Deo.

QVando aliquis latinæ lingvæ ignarus, benignâ religiosâq; mente De-

te Deum latine laudat, aut precatur: non minus utilitatis ac meriti refert, quam si linguâ notâ sibi laudes preceśq; suas Deo offert. Nam & ægrotus quisq; potionem medicinalem sumens sanitati restituitur etiamsi ipsius potionis virtutem ignoret. *In Corollario Appendicum.*

Item.

Qui Psalmum exactè non intelligit, credit tamen aliquid Sancti esse in eo quod cātat, omnino sine fructu non est. Deus enim psallentis cor magis, quam verba attendit. Omnis enim qui benignâ & religiosâ mente precatur, etiamsi lingua sibi incognita oret, eximiam utilitatem, eximiumq; meritum refert. *In Collyr. Hæret. lib. 2. c 14. S. Augustinus.*

In peccato mortali existenti quomodo orandum.

QVi conscientia peccatorum remordente nequit libero corde orare, statim culpam suam coram Deo cum humilitate fateatur, veniamque

pctat,

petat, & se corrigere proponat: atque ita demum sanctâ fiduciâ resumptâ faciem animæ jam repurgatam ad Dominum per preces; laudesq; Divinas levet. *In Encher. Parvull. lib. 1. In Append. Documenti 12.*

Orationi alterius commendare se, prodest.

QVi alterius orationibus congruâ pietate & fide se commendat, fructum sancti desiderij sui apud Deũ consequetur, etiamsi is cujus preces expetierat orare pro ipso negligat. *In Enchirid. Parvul. In Coroll. Appendic.*

Item.

Quando quis alterius orationibus se commendat, confidens se per ejus merita posse Divinam gratiam obtinere: pius Dominus indubitantèr secundum desiderium & fidem ipsius benefacit ei: etiamsi ille, cui se commendavit, neglexerit devotè orare pro ipso *Christus ad S: Giertrud. In Monil Spirit. cap. 3.*

Cur

Cur non semper obtinetur, quod petitur.

SAnè Deus quamlibet precatiunculam, in Ecclesia Catholica ritè fusam, & quodlibet suspirium, piè ad se emissum, eximiâ mercede remunerat, sed sæpe ad longum tempus differt præstare, quod postulamus quia sic expedit nobis. Et dum petimus ea, quæ salutaria nõ sunt: nõ illa quidẽ; sed alia quæ nobis utilia sunt, donat. *In Farrag. Instit. sub Tit. Hæc notatu digna.*

Item.

Precando impetrabis quidquid utile tibi fuerit. Quod si mox non obtines, quod postulas, vide ne perturberis. Deus enim suâ pietate nonnunquam differt largiri ea, quæ sanctè petuntur: non quod negare velit, sed ut cumulatius & utilius postea tribuat: ut quæ fidem, longanimitatem ac perseverantiam postulantis eximiè coronet. *In Canone Spir. c. 17.*

Item.

Non propterea existimes te non exaudiri,

xaudiri, quod orationis tuæ effectum non statim sentias aut videas: sed longanimis, fideq; plenus perseveres in sanctis petitionibus: Deo penitus committens, quando & quomodo velit postulata tribuere. Nam misericors Deus, sæpe ea quæ cócedere vult, differt in longum tempus præstare, eo quod non satis convenientèr, neq; satis utilitèr illa citius largirentur. *In Enchirid. Parnull lib. 1 Append. Documenti 12.*

De Oratione pro Defunctis.

PIus ac svavis Dominus, ipsas Electorum suorum animas, quas post mortem carnis adhuc purgare necesse est, in tantum diligit, earumq; liberationem tam ardentèr desiderat, ut si nos benigna charitate moti pro illarum absolutione fidelitèr precemur, & adorandam Sancti Altaris Hostiam sive merita Christi, vel psalmodiam, aut quælibet alia salutaria offeramus, peragamusq;: hoc non minus gratùm habeat, quàm si eundem Dominum

nostrum

nostrum carcere conclusum, consolationibus relevare, atq; adjutorio liberare studeremus. *In Enchir. Paryll lib. 2 cap. 4.* *Item.*

Quamvis animabus purgandis multum prosit, quidquid pro earum remedio fit, legendo officium, aut vigilias defunctorum, aliasq; orationes: magis tamen juvat, & majorem relaxationem eis quandoq; obtinet oratio paucissimis verbis & ardenti affectu usa. *Christus ad S. Gertrud. In Monil. spirit. cap. 3.*

Orationis meritoriæ formula.

DOmine si tibi placet, si expedit, ut id fiat? fiat. si verò nõ tibi placet, si non expedit? non fiat. fiat in omnibus Sancta tua voluntas. *In Canone vitæ Spiritualis, cap. 17.*

PASSIO CHRISTI.

Fuit acerbissima.

CHristi Passio fuit adeò omni consolatione destituta, adeòque gravis

gravis & acerba, ut ei nulla cujuslibet Sancti Passio possit aliqua ex parte æquiparari. Solet enim Dominus suis Martyribus immania tormenta per infusionem sensibilis gratiæ temperare: sed ipse Christus volens propter nos Passionem suam in vera resignatione atq; derelictione perferre, non permisit consolationem à superiori portione animæ suæ redundare in portionem interiorem ac sensualitatem. *In Corona Spirituali, Ad Simpliciorem Lectorem.*

Ex Passione Christi, tota spes Veniæ.

PRo scelerata inutili, ac deperdita vita tua, offer humili devotoq; corde, Deo Patri dilectum Filium ipsius IESUM Christum: offer Sanguinem, Vitam, & Passionem ejus. Ita enim poteris omnia peccata tua quantumvis multa & gravia penitus expiare, excellēterq; omnem imperfectionem tuam, seu quidquid tibi boni deest supplere. *In Dictis Patrum cap. 11. ex quodam Pio Scriptore.* *Item,*

Item.

Christus Sanctæ Giertrudi dixit. Quilibet poterit respirare in spem veniæ (quamlibet etiam gravi pondere peccatorũ senserit se esse depressum) offerendo Deo Patri meam innocentissimam Passionem & mortem. Credat igitur peccator se per hoc obtinere saluberrimũ fructum indulgentiæ. Quia nullum tam efficax remedium contra peccata poterit in terris haberi, sicut devota memoria Passionis meæ, cum fide recta, & vera pænitentia. *In Monili Spirituali cap. 1.*

Itidem gratiæ.

IGnorare non debes illa exercitia, quibus aliquid ex Passione Domini Iesu, juxta gratiam tibi datam, legis aut ruminas: majoris esse virtutis, quàm alia Spiritualia exercitia. Sicut enim ille, qui opobalsamũ vel leviter contingit, necessario svavem odorem retinet: ita is qui Passionem Dominicam pie recolit, licet per modico affectu id faciat, non potest non referre

augmen-

augmentum gratiæ Divinæ *In Enchirid Parvull. lib. 1 Append Documenti 12.*

Ac tandem gloriæ.

NOn nimium innitaris, neq; confidas hujusmodi austeritati vel meritis tuis: Verum spem omnem potissimum colloca in Passione Christi & in satisfactione, expiatione, ac meritis ejus. *In Spec. Spirit. cap. 10.*

Item.

Homo in satisfactione, & in meritis Christi potius, quàm in operibus propriis ac meritis semper confidat. Nam unica guttula preciosi Sanguinis Domini Iesu dignior est, quam omnia merita humana. *In Monil Spir. c. 2.*

Item.

Potissimam salutis spem, non tam in meritis bonorum operum, quæ forte egisti, quam in meritis & miserationibus Iesu Christi constituas. *In Canone Spir t. cap. 37.*

Meditatio de Passione Christi, est velut pretiosissima margarita.

VEnerandam Christi Passionem, tanquam pretiosissimam margaritam in scrinio pectoris tui reconditam habe, & eam grato animo sæpius revolve. *In Spec. Spirit. cap. 10.*

Est eximie fructuosa.

NVllus omnino potest aliquid de Domini Passione humiliter legere, vel cogitare (licet modico forte affectu hoc faciat) quin exmium salutis fructum referat. *In Instit. Spir. c. 6.*

Item.

Neq; scribi, neq; cogitatione comprehendi potest, quantum fructum homo bonæ voluntatis & humilis referat, ex pia meditatione Passionis Dominicæ: quamvis enim modico affectu aliquid de Vita & Passione Christi legat, aut ruminet, non potest non maximam utilitatem inde capere. *In Specul. Spirit. cap. 10.*

Imò aspectus solus in imaginem Crucifixi est utilissimus.

Fieri nulla ratione potest, ut vel aspicias tantum pijs oculis imaginem Crucifixi, sit sine grandi utilitate: cum ibi salutis tuæ summam invenias. *In Dictis Patrum cap. 21.*

In meditatione Passionis Christi non obest ariditas.

Quotiescumq; aliquid pie meditaris, aut legis de Vita, seu Passione Domini Iesu, Sanctificaris inde, & ingentem fructum reportas, etiamsi parvo admodum affectu, & sine ullo sapore sensibili mediteris ac legas. *Ibid. ut supra.*

Item.

Si in meditatione Passionis Dominicæ, cor tuum durum, ac sterile est? ita ut neq; compassionem, neq; amorem sentias? non hoc te perturbet, sed humilis ac resignatus esto: & libenter etiam arido corde hæc lege, ac rumina, pro Dei honore & gloria.

Plerum-

Plerumq; homini utilius est, compassionem vel amorem desiderare, quàm sentire.

Si tibi desunt in meditatione Passionis Dominicæ externæ lachrymæ? non desint internæ, hoc est; non plorant oculi? ploret cor. offer pro sensibili compassione piam gratiarum actionem. *In Præfatione Margariti Spirit.*

Meditatio Passionis Christi mirè præservat à pænis purgatorij.

ANima quæ se multis obstrinxit peccatis, poterit ipsius Passionis Christi thesaurum adeò ad se adjungere sibiq; applicare, ut etiamsi vel mille annis punienda sit in Purgatorij locis brevi tempore & culpam & pænam omnem dissolvat, ita ut absq; Purgatorio libera commigret in cælũ. *In Dictis Henrici Susonis de Passione Dñica.*

Illicium Christi ad meditandam Passionem ejus.

MIhi longe gratiùs est, cor hominis si omni caduco amore sit vacuum

cuum, atq; ad imitandum vitæ meæ præclarum exemplar perpetua sedulitate intentum: quam si continuis prosequatur me lamentis: totq; fundat lachrymas, quot unquam pluviæ guttæ ex àére defluxerunt.

Si tu ipse Passionem meam amantissimam humescentibus oculis commemorare non potes? facias te nihilominus jucundo animo, ob bona immensa quæ ex illa capis.

Si nec hilaritèr, nec lachrymabundus eam cogitare potes? vel arido corde in mei laudem eam percurras. Ita enim non minus gratum mihi præstiteris obsequium, quàm si piæ lachymis & dulcedine totus colliquesceres. *In Scriniolo Spirituali.*

Nihil in Ecclesia Deo est acceptius: nihil quod efficacius peccatorum remissionem obtinere: aut celeriùs Purgatorij animabus succurrere possit: quàm Sacratissimam Christi offerre Passionem. *Pater Alexius à Salo.*

Medita-

Meditationis Christi Passionis novem fructus.

IPse Dominus IESUS in Spiritu cuidam *amico* dixit. Quisquis bonâ voluntate præditus Passionis meæ lectioni aut meditationi humilitèr ac studiosè, ut oportet, insistit: novem inde utilitates consequitur.

1ma est: Quod à peccatis omnibus emundatur, & quidquid neglexit, id illi ex meritis meis restituitur.

2da. Quod ad resistendum hostibus suis ita confortatur, ut nullum ex eo tryumphum referre queant. Nam etsi ipse ex infirmitate nonnunquam labitur: dexteram tamen meam suppono, ne collidatur & pereat:

3tia. Quod ad bona quæq; opera diversasq; virtutes peragendas vires accipit.

4ta. Quamlibet brevi cogitatione eandem Passionem meam revolvat, semper anima ejus in gratia mea renovatur.

5ta. Quod devotè eam commemoranti libentèr ipsi commoror.

6ta. Quod arcana mihi à Deo Patre manifestata illi similiter aliquãdo pandam.

7ma. Quod eum ante mortem mihi placentem reddam: & defunctum cum charis meis remunerabo.

8va. Quod nihil eorum, quod seriò & rationabilitèr, convenientèrq; petet, illi negabo.

9na Quod in morte illi adversùs hostes ejus assistam, & de vita æterna ipsum faciam certum atq; securum. *In Dictis Patrũ c. 31. Quidã pius Scriptor.*

PECCATUM.

Peccati non est author Deus.

SI tentatione victus corrueris, & peccaveris? ne incuses Deum qui author iniquitatis non est; sed te accusa, qui Diabolo consensisti. *In Canone vitæ Spirit. cap: 6.*

Item.

Quod Dei est, Deo attribue, & gra-

tus esto ; tibi vero nihil adscripseris, præter peccatum. *In Canone vitæ Spiritualis cap: 26.*

De peccatis ex infirmitate humana.

QVi ex infirmitate sola delinquit dum liber apud seipsum est, odit vitia, eorumq; occasiones: quando tamen se se offerunt ipsæ occasiones, facilè, aut linguæ incōtinentiâ, aut sensuum nimiâ libertate, aut passione affectioneq; indignâ, aut consimili aliquâ transgressione offendit; sed mox ut ad se redierit, dolet & penitus aversatur vel minimam peccatorum labem: ob idq; veniam repente consequitur. *In Canone vitæ Spirit. cap: 3.*

Item.

Quando ex infirmitate humana peccatum admittis? non nimium deijciaris animo, sed culpam humilitèr agnoscens, crede IESUM tibi veniam dare, libentèrq; ignoscere quemadmodum B. Ioannes testatur. Si confiteamur peccata nostra, fidelis est &

justus, ut remittat nobis peccata nostra, & emundet nos ab iniquitate. *Ioann: 1. In Specul. Spirit. cap: 6.*

De peccatis ex affectata negligentia.

ILle qui ex affectata negligentia peccat, dum malorum occasionibus è medio sublatis liber apud se ipsum esse potest: miris modis concupiscit easdem occasiones, illisq; plurimum afficitur, non sane propter peccatum, sed propter oblectationem. Labitur & ipse quidem ex fragilitate fortassis, sed non ex mera fragilitate. Qui tamen si statim post culpam admissam innovato proposito, verè pænitentiã ageret? ipse quoq; celerrimè obtineret delicti remissionem. *In Canone vitæ Spiritualis cap: 3.*

De peccatis ex malitia commissis.

COgita plerosq; ipsorum, qui Christum occiderunt, postea credendo in Christum, veniam accepisse. ut videlicet mortales omnes discerent, nulla esse immania crimina atq; flagitia,

quæ

quæ clementissimus, & adipe misericordiæ plenus Dominus, non velit ad se conversis, vereq; pænitentibus remittere. *In Scriniolo Spirituali. In Epistola Blosii.*

Item.

Si te Diabolo tradideris: si me centies negaveris: si me & mei imaginẽ pedibus conculcaveris: si Sacramento meo contumeliam feceris? doleo quia fecisti, & ego dimitto tibi peccatum. *Ioan: Lanspergius in Interna allocut: Christi ad animam. In Consol: Pusill.*

Ad odio habendum peccatum, opus est gratiâ Dei singulari.

NEmo potest odisse salubritèr peccata sua, nisi Deus dederit; nisi auferat cor lapideum & inferat cor carneum: nisi pro corde polluto creet in nobis cor mundum: nisi pro Spiritu pravo Spiritum rectum innovet in visceribus nostris. *In Consol Pusill. In præclaris Dictis de Dei misericord.*

Peccatori etiam maximo, non desperandum.

NOn propter numerositatem, nec propter enormitatem lapsuum tuorum desperes: sed culpam tuam humilitèr agnoscens, & se fidelitèr corrigere proponens toties cum Sancta indulgentiæ spe resurgas, quoties cadis. *In Enchir. Parvul. In Append. Documenti 3tij.*

Item.

Si contingat te in gravissima scelera (quod Deus avertat) ruere, totiès resurge quotiès cadis: neq; unquam spem salutis abijcias: revertere ad benignissimum Deum tuum, & ipse te libentissimè suscipiet. Vult enim & potest cuilibet fideli homini verè contrito ignoscere, eumq; ab omni salutis impedimento (qualecunq; etiam illud sit) eripere & expedire. *In Tabell: Spirituali.*

Item.

Etiamsi centies vel milliès quotidiè

ex humana fragilitate labâris: totiès cum Sancta spe veniæ resurgas quotiès labaris. Proponas & coneris purius vivêre: non tamen confidas in tuo proposito vel conatu, sed in sola bonitate Dei, & in auxilio gratiæ ejus quæ nunquam deerit facienti humilitèr id quod in se est. *In Brevi Regula.*

Peccatori ponitur modus justificationis.

Christus ad S. Birgittam dixit.

NVllus est tàm magnus peccator, cui ego negem misericordiam, si eam humilitèr & perfecto corde petierit. Itaq; peccatores, qui mihi reconciliari gratiam amicitiamq; meam obtinere volũt, in primis ex toto corde doleant, quod me Creatorem suum ac Redemptorem offenderint: deinde se expurgent se coram Sacerdote, purâ humiliq; confessione, & vitam corrigant ac satisfactionem expleant, juxta consilium & discretionem Sacerdotis. Si enim hoc fecerint, ego eis appropinqua-

pinquabo, & Diabolus ab ipsis elongabitur. Postea conveniens, erit, ut & corpus meum cum devotione veraq; charitate accipiant: habentes voluntatem nunquam admittendi priora peccata, & proponentes in bono usq; ad finem perseverare. *In Monil. Spirit. cap. 1.*

Peccator odio non habendus.

ODeris peccatum in homine, sed non oderis hominem propter peccatum. Nam hominem Deus fecit: peccatum verò non Deus, sed homo fecit. *In Instit: Spirit. cap. 2. & in brevi Regula.*

Peccator non despiciendus.

NVllum damnes, nullum despicias, de nullius peccatoris conversione desperes. Quia is, qui modo pessimus est, potest mox Dei gratiâ mutari atq; optimus esse. Nondum enim pons misericordiæ Divinæ, quo transitur ad sanctam vitam, dejectus, est. *Ibidem, ut supra.*

Item.

Item.

Dum cernis aliquem malè agere, & peccare, non illum aspernaris: sed Deum pro eo ores, rogans ut illum adjuvare & conservare dignetur. *Ibidem ut supra.*

Peccator benigne admonendus.

SIcut vis Deum in te esse benignũ, & clementem: ita tu quoq; in alios sis benignus & clemens. *In Speculo Spirit: cap: 5.*

Item.

Sic persequere peccatum in homine, ut tamen propter peccatum, quod homo commisit, non oderis hominem quem Deus fecit. *Ibid. ut supra.*

Item.

Si irasceris ut peccãtem corrigas aut castiges; irascere sine felle, sine odio. *Ibid. ut supra.*

Item.

Si quandoq; necesse fuerit, ut aliquem duriùs asperiusq; corripias, fiat hoc discretè & sine odio pro Dei honore ac gloria. *In Dictis Patrum cap. 7.*

Peccatori magis cavenda mors animæ quàm corporis.

SI consentiendo alicui peccato, posses te ipsum, & plurimos alios à morte eripere? nullo tamen modo deberes peccato consentire. Neq; enim licet facere mala, ut veniant bona: & nimis absurdum foret, pro utilitate Creaturarum (quæ cõparatæ Deo quasi nihil sunt) scientèr ac deliberatâ voluntate offendere Creatorem, qui est bonum infinitum. *In Speculo Spirit. cap: 1.*

Item.

Si tibi diceretur, aut bibas, aut morieris? melius esset, ut caro tua sobria occideretur; quàm per ebrietatem anima moreretur. *Sanctus Augusl: serm: 232. de Tempore.*

Peccatoribus meticulosis dantur documenta.

QVi inordinatè damnationis metu laborat, & benè vivere conatur pro viribus: expedit prudentèr prohibere

hibere oculos internos, à nimia consideratione justi Iudicij Dei. *In Specul: Spirit: cap: 6.*

Item.

Non anxiè pertractes apud se, utrum necesse erit, ut post hanc vitam, peccata tua adhuc in Purgatorio expientur: sed voluntati providentiæ, ordinationiq; Dei, te totum securè in omnibus committens atq; resignans, gratum habeas, quidquid tibi ille facere voluerit in tẽpore, & æternitate. *In Instit: Spirit: cap: 8.*

Qualitèr peccata dolenda.

QVando peccas, magis doleas & deplangas, quod Deum fidelissimum, dulcissimumq; Patrem tuum offenderis; quàm quod commerueris ut gravibus vel etiam æternis supplicijs puniaris. *In Instit: Spirit: cap: 8.*

Peccata venialia qualiter delenda.

IPsas veniales culpas coram Deo seriò confiteri debemus, quæ multis modis delentur; pura contritione, Dominicæ

minicæ orationis prolatione: gravamine aliquo pro Deo perlato; aquæ benedictæ aspersione, gemitu, tunsione pectoris, &c. Si talia piè ac religiosè fiant. Vtile tamen est animæ, & Deo gratum, ut homo accuratè etiam leviores offensas coram Sacerdote confiteatur, atq; exprimat: sed inanes scrupuli reijciendi sunt, *In Specul. Spirituali. cap: 1.*

Item.

Non sis nimium pusillanimis propter quotidiana peccata, quæ invitus committis. Nam, quemadmodum singulis diebus, in multis saltim leviter offendimus: ita quotidianas expiationes habemus in promptu, quibus hujusce peccata deleantur. Est Sancta Confessio, est gemitus, est fletus, est sancta lectio, seu Verba Dei: est eleemosyna, est hospitalitas, est oratio, qua Domino dicimus. Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Sunt aliæ precationes, aliaq; pietatis misericordiæ

ricordiæ & charitatis opera. *In Canone, vitæ Spiritualis, cap. 3.*

Peccata venialia in genere confitenda.

EAs culpas, quæ quotidianæ & cõmunes dicuntur; & à quibus nemo sibi cavere potest; ut paucis explicem verbis, generatim eas confitearis: tecumq; proponas & constitutas semper bene agere; & omnia tam venialia, quàm mortalia peccata vitare te velle. *Rusbroch: in Consol. Psill.*

Item,

Non eris nimis anxius, neq; perturbaberis, si forte non omnes veniales culpas in confessione expressisti: nam tales generalitèr exposuisse satis est, & cùm mortalia duntaxat peccata, & ea de quibus dubium est, utrum mortalia sint, expresse ac distinctè ex præcepto atq; necessitate confiteri coram Sacerdote obligemur. *In Speculo Spirit. cap: 1.*

Pro

Pro peccatis, oblatio & satisfactio efficacissima.

IN satisfactionem pro peccatis tuis, offeras Deo merita; dolores, & Vulnera Christi. Nam hæc indubitantèr valent, ad plenè satisfaciendum pro omnibus peccatis. *In Instit, Spirit. c. 8.*

Item.

Offer Deo Patri in plenam expiationem peccatorum tuorum, & in suppletionem meritorum quæ tibi desunt, ipsum Vnigenitum Filium ejus IESUM Christum: Offer omnia quæ ille pro te fecit ac pertulit: offer Incarnationem, Vitam, labores, Passionem, cruciatus, Sanguinem, & mortem ejusdem Redemptoris tui. Nulla enim scelera tàm gravia & enormia esse possunt, quæ non meritis Christi & pretioso cruore ejus in homine bonæ voluntatis deleantur. *In Speculo Spirit. cap. 7.*

Item.

Quoties interes Divinissimo Missæ

Sacrificio, hostiam in eo per Sacerdotem consecratam, offer devotâ mente Deo Patri in plenam expiationem & satisfactionē pro peccatis tuis: offer eam illi in gloriam svavitatis & laudem æternam pro tua omniumq́; salute. *In Speculo Spirituali. cap: 12.*

Item.

Offer devotà mente Deo Patri; dilectissimum Filium ejus Iesum Christum, pro deperdito pueritiæ, & juventutis tempore, Offer Sanctissimam ejusdem Christi pueritiam ac juventutem pro cunctis negligentijs, & imperfectionibus tuis: offer ipsius Vitam perfectissimam & Passionem salutarem, *In Consol: Pusill. Quidam Dei amicus.*

Pro peccatis satisfactio efficax sed conditionata.

SCito, satisfactionem Domini Iesu immensam esse. Nam & unica pretiosi Sanguinis ejus guttula, mille mundorum diluendis peccatis sufficere poterat. Verum tamen debes ma-

gnâ

gnà diligentiâ benè agere, & satisfacere, pro peccatis tuis, vitiaq; in te mortificare omnibus diebus vitæ tuæ. *In Tabella Spirituali.*

Consolatio Peccatorum desperantium.

Licet insipiens cogitatio tua obmurmuret, atq; obstrepat, clamitans vitam tuam talem non fuisse, ut sperare debeas te perventurum ad æternam illam gloriam? Responde cum sancta humilitate & pia fiducia. Scio cui credidi, scio me ineffabili charitate adoptatum esse in Filium. Licet Domino facere, quod vult. vult autem misereri, vult salvare: quia sic decet ejus clementiam & bonitatem. Non multitudo, non enormitas peccatorum meorum: non miseria quotidianæ fragilitatis meæ me terrere potest, dum illius incarnationem, Passionem, ac mortem memoria repeto. Ipse me redemit, ipse Sanguinem fudit, ac moriendo debitum exolvit.

In immensùm major est ejus misericordia, quàm sit aut esse possit iniquitas mea. Sacrosancta ejus Vulnera testantur me esse reconciliatum, si verè me pœniteat iniquitatum: si verè eum diligere concupisco. Beata sua brachia in Cruce expandit, ut me peccatorem suscipiat, atq; complectatur: ego inter illa & vivere & mori desidero. Et qnamvis mea iniquitas ab hoc gloriæ consortio me repellat: naturæ tamen communio ad illud admittit. Non est tàm inhumanus Deus, ut non diligat membra sua, viscera sua. Quamdiu illè non desierit esse misericors, non sum inops meriti. Quodsi misericordiæ ejus multæ? dives quoq; ego sum, meritis.

Quisquis pius Dei cultor & orthodoxus Catholicæ Ecclesiæ Filius est, eò modo se se sub mortem confirmare potest, adversus omnes desperationis impulsus. Tu igitur talis esto. *In Canon: vitæ Spirit. cap: 39.*

Item.

Item.

Quid hac Dei promissione liberaliùs? In quacunq; inquit die, conversus fuerit impius ab impietate sua, non nocebit ei impietas sua. Non ait, si biennio, si bimestri, si biduo ante mortem conversus fuerit: sed in quacunq; die conversus fuerit, in quacunq; die ingemuerit, salvus erit, modo vere, recteq; ingemiscat. *Ib: ut supr.*

PÆNITENTIA.

Non differenda de die in diem.

NOn tardes converti ad Dominum, neq; differas de die in diem: subito enim veniet ira illius, & in tempore vindictæ disperdet te. *Eccles. 5.*

Item.

Noli dicere cras me convertam: cras Deo placebo, & omnia hesterna & hodierna peccata dimitentur mihi. Verum quidem dicis, quia Deus conversioni tuæ indulgentiam promisit: sed

fed dilationi tuæ craſtinum non promiſit. *In Pſychagog: lib: 1. cap: 4.*

Item.

Quamvis Deus promittat peccatori verè pænitenti miſericordiam: non tamen promittit in peccato perſeveranti veram pænitentiam, vel longam vitam, *In Monili Spiriti cap. 1.*

Item:

Qui ab iniquitatibus ſuis recedere negligunt: & ſibi de[Deo] indulgentiam repromitunt: nonnunquam ita præveniuntur repentino Dei furore, ut nec converſionis tempus, nec beneficium repromiſſionis inveniant. *S. Auguſt: Tom: 1. Serm: 66. de Temp.*

Item.

Promittitur quidem tibi pecatorum remiſſio, ſi etiam in extremo vitæ articulo poſitus verè, id eſt ex amore Dei magis, quàm metu ſupplicij pænitentiam egeris: non tamen tibi promittitur futurum, ut tunc verè pænitentiam agas: ſanè hujuſmodi pænitentia, quæ uſq; ad vitæ extremum differ-

differtur, dubia admodum est, periculosa est, non semper vera est. Vt igitur morte præsente securus hinc emigres, pænitentiam age, corrige vitam interim dùm sanus es, & adhuc peccare potes. Nam si tunc demum peccare desinis, quando amplius peccare non potes, non tu peccata deseris, sed peccata te deserunt. *In Canon. vitæ Spirit. cap. 2.*

PRÆDESTINATIO ET PRÆSCIENTIA.

De Prædestinatione & Præscientia Blosius in opusculis suis, pauca admodū ac ferme insinuādo scripsit. Proinde ex operibus D. Augustini excerpta quædam scitu necessaria, hic ponuntur.

Prædestinationis definitio.

Prædestinare Deum nihil est aliud, quam in illa sua, quæ falli mutarique non potest Præscientia opera futura

tura

tura sua disponere. *S August. tom. 5. lib. 2. de prædestinatione Sanctorum cap. 17*

Prædestinatio autem derivatur à præveniendo, seu præordinando futurum aliquid. *Idem Tom. 7. lib: 6:*

Præscieutia verò derivatur à prævidendo & præsciendo, vel ut utar verbis D. Augustini. Præscientia est futurorum scientia. *Tom. 4: lib. 2. ad Simplicianum, Quæst, 1.*

Differunt autem ista inter se per hoc: quod Prædestinatio sine Præscientia esse non potest. Præscientia verò sine Prædestinatione esse potest. Prædestinatione quippe Deus ea præscivit, quæ fuerat ipse facturus. Præscire autem potest Deus etiam ea quæ ipse non fecit. sicut præscit quæcunq; peccata. *Ita D. August: Tom: 3. lib, 2. de Prædest:*

Ad quæ opera prædestinat Deus.

AD prævaricationem legis; ad neglectum religionis, ad disciplinæ corruptelam; ad desertionem fidei, ad perpetrationem qualiscunq; peccati

nulla

nulla est omnino prædestiuatio Dei: nec fieri potest; ut per quem à talibus malis surgitur, per eum in talia decidatur. *S. August. Tom: 7. lib: Responsionum ad Articulos, Artic: 14:*

Prædestinatio facit, ut ex malis boni fiant homines.

NVllo modo prædestinatio Dei facit, ut aliqui ex filijs Dei, sint filij Diaboli: ex Templo Spiritûs Sancti, templa fiant Dæmonum: aut ex mẽbris Christi. membra meretricis: sed potius prædestinatio facit, ut ex filijs Diaboli, fiãt filij Dei: & ex tẽplo Dæmonum templa Spiritûs S: & ex membris meretricis: membra fiant Christi: quia ipse alligat fortem, & vasa ejus rapit, eruens ea de potestate tenebrarum, transferens de contumelia in gloriam. *Tom. 7. lib. ad Artic. Artic. 12.*

Deus prædestinatos, etiam obstinatos, adducit ad pænitentiam,

AIt Apostolus: Bonitas Dei ad pænitentiam te adducit. *Rom. 2.* Ve-

rum

rum esse constat: sed quem prædestinavit adducit: quamvis secundum duritiam, & cor impænitens, quantum ad ipsum attinet thesauriset sibi iram in diæ iræ: & revelationem justi Iudicij Dei, qui reddet unicuiq; secundùm opera ejus. Quantum enim libet præbeat patientiam, nisi ipse dederit, quis agit pænitentiã. *Idem Tomo 7. lib. 4. contra Iulianum cap: 3.*

Prædestinatorum nullus perire potest.

FIrmitèr crede & nullatenus dubites, omnes qui vasa misericordiæ Deus fecit gratuitâ bonitate, ante mundi constitutionem, in adoptionem filiorum Dei prædestinatos esse à Deo: neq; perire posse aliquem eorum; quos Deus prædestinavit ad regnum. *Tom. 3. lib. de fide ad Petrum cap: 35.*

Item.

Ex numero Electorum & prædestinatorum, etiam qui impijssimam duxerunt

runt vitam per Dei benignitatem, adducuntur ad pænitentiam, per cujus patientiam non ſunt huic vitæ in ipſa ſcelerum perpetratione ſubtracti: ut oſtendatur & ipſis, & alijs cohæredibus eorum, de quàm profundo malo poſſit gratia Dei liberare. Ex his nemo perit, quâcunq; ætate moriatur. Abſit enim ut prædeſtinatus ad vitam ſine Sacramento Mediatoris finire permittatur hanc vitam. *S: Auguſt. Tom. 7 lib. 4. contra Iulianum cap. 3.*

Prædeſtinationis, & Reprobationis cauſæ imperſcrutabiles.

NOvimus nonnunquam quoſdam volentes vitæ æternæ finem accipere, & eam adipiſci: quoſdam autem non: Novimus etiam aliquos perfectos ex labore multorum annorum prolapſos in ultimo vitæ ſuæ, & periiſſe. Aliquos verò à juventute ſua in omni ſcelere, & damnabilitate, uſq; ad decrepitam ætatem perduraſſe: & repentè cælitus inſperatâ ſalute

raptos

raptos esse ad requiem regni cælorum. Novimus etiam parvulos Parentum manibus ad gratiam Sacri Baptismi deportatos: & cum in uno eorum per manus Sacerdotis mysterium fidei adimpleretur; aliquoties alterum in manibus Parẽtũ factum exanimem, fraudatum gratia Salvatoris. Quis sapiens intelligit hæc? Aut quis idoneus erit horum reddere rationem? Dicamus cum David. Quam magnificata sunt opera tua Domine: nimis profundæ factæ sunt cogitationes tuæ. *Psalm. 91. S. August. Tom. 7. lib. 6.*

De prædestinatione scrutari periculosum.

NEmo venit nisi tractus. Quem trahat, & quem non trahat? Quare illum trahat, & illum non trahat? Noli velle judicare, si non vis errare. Simul nempe & intellige. Nondum traheris? ora ut traharis. *S. August. Tom. 9: Tract. 26. in Ioan.*

Præscientia & Prædestinatio non tollit libertatem creatam.

QVando aliquis peccatum committit, Deus quidem illum peccaturum ab æterno præscivit: non tamen ille ideo peccát quod Deus peccati ejus præscius fuerit: sed potius illum peccaturum Deus ideo prævidit, quia omnino ille pravâ suâ voluntate peccatum erat commissurus. Præscientia enim Dei non tollit libertatem árbitrij nostri. *Blosius, In Enchir. Parvul. lib: 2. cap: 9.*

Item.

Deus ut omnia opera in prædestinatione posuit, sic ille dispusuit ut quosdam non credentes, ad fidem suam orationes credentium pro eis exaudiendo converteat. *S. August. Tom. 2. Epistol. 107. Ad Vitalem.*

Deus prædestinat gratuitò.

TAceat humana lingua, nec prorsus in Prædestinatione de meritis extollatur. Attendat dictum. Ante mundi

mundi constitutionem Divinæ voluntatis est hoc donum, non humanæ fragilitatis meritum. *S. August: Tom: 7. lib: 6.*

Item.

Deus cujus vult miseretur, & quem vult indurat. Miseretur enim magnâ bonitate, & obdurat nullâ iniquitate: ut nec liberatus de meritis, glorietur; nec damnatus de suis demeritis, conqueratur. *Tom: 3. lib. Enchiridij, cap: 99.*

Item.

Non est ex meritis Prædestinationis conscriptio, sed ex gratia & dono Dei. Deus enim non quia prævidit merita, ideo elegit; ita ut prævisio meritorum sit ratio electionis & prædestinationis: sed potius è contra, quia elegit, & prædestinavit, ideo Sancti erunt. *S. Tom: de Villa nova.*

Deus bonos præscit & prædestinat, malos autem præscit sed non prædestinat.

APostolus dicit: Nam quos præscivit, & prædestinavit. *Rom: 8.*

Sed non omne quod præſcit, prædeſtinat. Mala enim tantum præſcit, & non prædeſtinat. Bonum verò præſcit, & prædeſtinat. Quod ergo bonum eſt; præſcientia prædeſtinat, id eſt, priuſquam ſit in re præordinat.

Item.

Deus quæ præſcit gratuitâ miſericordiâ præparat, id eſt prædeſtinat ad vitam æternam: cæteros autem debitâ pænâ punit; quia, quid erant futuri, præſcivit: non tamen puniendos prædeſtinavit, ſed tantum in damnabili maſſa præſcivit. *Tom: 7. lib: 6. Hipognoſt.*

Prædeſtinationis Divinæ ſigna.

SI libere & circa fictionem vel ſimulationem Domino Deo perenniter ſervire illumq; laudare & amare planè proponis: ſi ſecundum gratiſſimam voluntatem ejus vivere eumq; ex amore eligere ſtatuis? hoc ipſum argumentum tibi ſit, te ab eo prædeſtinatum, vocatum, Electum, & dilectum

ctum esse ex omni æternitate. *Blosius in Farragine Instit.*

Item.

Qui secundùm propositum Dei vivunt, præscitos esse & prædestinatos electione gratuitæ gratiæ ejus; & regnum eis Cælorum esse prædestinatū sine dubitatione dicendum est. *S. August: Tom. 7. lib: 9. Hipognostic.*

Conclusio istius Materiæ.

Hinc nemo glorietur, nemo desperet. Solus enim Dominus scit, qui sunt ejus. Inquantum autem possumus, omnes homines ad bonum opus exhortemur; nulli desperationē demus, pro invicem oremus. In conspectu Dei nos humiliemus, dicentes. Fiat voluntas tua. Ipsius erit potestatis Iudicium in nobis debitum mutare damnationis, & gratiam prædestinationis in debitum prorogare. *S. August: Tom: 7. In fine lib: 6.*

RESIGNATIO.

Resignatio sui, Divinæ voluntati gratissima Deo.

NIhil Deo gratius offerri potest, resignatione propriæ voluntatis, quia homini nihil est charius ipsâ voluntate & arbitrij libertate. *In Institutione Spirit. cap. 2.*

Resignare se homo debet Deo, tàm in prosperis, quàm in adversis.

SI voluntas Dei tibi dulcis, quando te Deus sanum esse, & vivere vult: amara verò est, quando te vult infirmum esse & mori? nondum plenè resignatus es, nondum habes cor satis rectum. Sine Deum agere tecum, quod volet, & ut volet in vita & morte in tempore & æternitate. *In Speculo Spirituali cap. 9.*

Resignatum sibi Deus nunquam deserit.

CItius Cælum cum terra periret, quàm Deus hominem se se illi resignan-

ſignantem permittentemque & benignitati ejus humilitèr confidentem, abijceret, aut desereret; *In Tabella Spirituali.*

Resignatus Deo immobilis eſt.

SI verè patientes & reſignati fuerimus, nihil nos neq; rerum temporalium amiſſio, neq; propinquorum, charorum, vel affinium obitus, neq; infirmitas, neq; ignominia, neq; mors, neq; vita, neq; Purgatorium, neq; Dæmon, neq; infernus ipſe perturbare, aut inordinatè contriſtare poterit: eò quòd nos ipſos ex verò amore Divinæ reſignaverimus ac ſubijcerimus voluntati & beneplacito. *In Dictis Patrum cap: 12.*

Reſignatio ſui, in ariditate & diſtractione eſt utilis.

SI quando ſentias, naturæ torporem mæſtitiam, & grave pondus: teq; guſtu appetitione, atq; impulſu erga res Spirituales deſtitutum, itemq; miſerum, inopem, deſolatum, atq; ſine

ulla consolatione relictum esse à Deo, & quodam erga quævis, tam interna, quàm externa, exercitia tædio laborare? nihil hinc animo consterneris: sed Domini manibus te permittens ac resignans, illius ores fieri voluntatem, & quod ad ejus sit honorem. *In Farragine Instit.*

Resignans se Dei voluntati in extremis, evadit omnes pœnas in futuro sæculo.

NVllum exercitium in extremis esse potest, quàm ut quis seipsum ex pura dilectione, ex integro Divinæ voluntati resignet & cum perfecta sui resignatione, ad omnem pænam pro honore Divinæ justitiæ tolerandam animo spontaneo offerat: ipse neq; infernum, neq; purgatorium subibit, etiamsi solus omnia totius mundi peccata commisisset. *In Consol: Pusill: de bona & felici morte:*

Resignationis formula.

DOmine sicut ipse ab æternitate voluisti, ita fiat, & non ut ego volo,

volo. Fiat in me & de me atq; hominibus & negotijs omnibus gratissima voluntas tua, nunc & in ævum sempiternum. *In Specul: Spirit: cap: 9.*

SANCTI.

Vident; non tamen comprehendunt Deum.

QVilibet Spiritus beatus, videndo essentiam Dei, videt, cognoscitq; omnia quæ concernunt perfectionem propriæ gloriæ: videt & cognoscit, quidquid vîdere ac scire desiderat. Non autem videt omnia, quæ sunt & relucent in Deo: Nam si creatura cognosceret omnia quæ sunt in Deo, comprehenderet Deum, quod nullo modo fieri potest: cum illa sit finita, Deus autem infinitus. Vnde nec ipsa quidem Creaturarum omnium Beatissima videlicet Anima Christi comprehendit Divinitâtem, sive jnfinitam Dei essentiam. Ergo solus increâtus Deus seipsum

plenè comprehendit, atq; cognoscit. *In Menil: Spirid: cap: 14.*

Non omnes æqualitèr vident Deum.

QVo quis in Cælo majoris meriti est, & Deum ardentius amavit: & limpidius ipsum intuetur; & plura in eo cognoscit. Ibi gloriam Dei, quæ omnibus communis est, unusquisque haurit pro sua mensura, & quilibet plenus est. *Ibid: ut supra.*

Vident omnia, quæ spectant ad statum illorum.

SAncti in Cælo clarè contemplantur Deum, prorsus vident Deum sicuti est; Nam nisi illum ita cernerent atq; cognoscerent Beati non essent. Videndo autem Deum facie ad faciem, Deo excellentissime uniuntur. Et quia unum sunt cum Deo, qui omnia scit & potest, ipsi quoq; in illo sciunt, & possunt omnia, quæ ad eorum spectant gloriam *In Spec: Spirit: cap. 14.*

Item.

Item.

Sancti in cælo cognoſcunt perfectè veritatem: cognoſcunt omnium rerũ naturas: vident ac ſciunt, quidquid ad totius mundi ordinem decoremq; pertinet; *In Monil: Spirit: cap: 14.*

Item.

Animæ Sanctæ in cælo, quia intus claritatem Dei vident: nullo modo credendum eſt, aliquid foris eſſe quod ignorent. *Ibid. ut ſupra.*

De Sanctorum eximia pulchritudine.

TAnta pulchritudo eſt infimi Civis cæleſtis, ut totius mundi pulchritudo ſenſibilis in unum collecta illi comparari nullatenus poſſit. Claritas ejus longiſſime excedit meridianam viſibilis Solis claritatem, *In Monil Spirit: cap. 14.*

De ſatietate Sanctorum ex Viſione DEI.

IN futuro ſæculo, qui ad Deum pervenient, veris ſolidiſq. delectationibus

nibus perfruentur. Non indigebunt corruptibili cibo & potu, qui Deum possidebunt pleni enim Deo erunt, Deus erit illis cibus, erit potus, erit quidquid optaverint: omnia in eo habebunt, cujus visione satiabuntur. Videbunt semper; satiabuntur semper: & semper videre, semperq; saturari desiderabunt, & sine fastidio satiabuntur. *In Canone vitæ Spirit. cap. 34.*

Sancti, non tristantur de suis in inferno sepultis.

IN regno cælorum Parentes, licet aspiciant filios suos in inferno damnatos: nulla tamen compassione moventur erga illos: sed optime contenti sunt videntes eos cruciari; tanquam inimicos. *Christus ad S. Catharinam. Blosius in Monil: Spirit: cap: 14.*

SCRUPULI.

Omnino sunt repellendi.

INordinatum mærorem, vitiosam animi dejectionem, superfluos cō-

ſcientiæ ſcrupulos, intempeſtivas perplexaſq; confeſſionis ſemel factæ repetitiones, & cæteras hujuſmodi mentis inquietudines (quæ Spirituale profectum plurimùm impediunt) repelle. Non placet Deo ut ita ſimꝰ anxij, quaſi actum eſſet de ſalute noſtra, dum leviter offendimꝰ. *In Canone vitæ Spirit: cap: 13.*

Item.

Cum te peccaſſe jam pæniteat, & doleas quod unquam Deum offenderis, proponas deinceps Illi ſervire, & eum amare, atq; delicta tua ritè confeſſus ſis; bono animo eſſe, pacemque cordis habere debes Crede Domino qui Sacerdotibus confeſſiones legitimè recipientibus, dicit. Quæcunque ſolveritis ſuper terram erunt ſoluta & in cælo. *In Spec: Spirit. cap. 1.*

Item.

Reijce ſuperfluos, atq́ inanes ſcrupulos: hi enim illuminationem internam prohibent & conſcientiam (quã fide, ſpe, & charitate ornatam eſſe oportet) formidine, anxietate, privatoq;

toq; amore devenustant. *In Spec: Spir: cap: 1.*

Scrupulosi, ob defectus qui vitari non possunt, turbari non debent.

PRopter eos defect9, quos nullâ ratione in se devincere potes, non perturberis: sed se Deo resignans reputes illos velut fimum esse, quo conspersus ager animæ tuæ uberiorem fructum profert. *In Instit: Spirit: c. 8.*

Item.

Semel diligenti facta confessione omnium peccatorum tuorum: semel habito proposito nihil reticendi in confessione, quod noveris confitendũ: deinceps sta in pace, & reijce in os Diaboli scrupulos omnes. *In Consol: Pusill. Laspergius In interna alloc.*

Consolatio scrupulosorum & remorsum Conscientiæ habentium.

SOlet Diabolus circa pænitentiæ luctum, & circa alia omnia pænitentibus servis & Ancillis insidias ponere, ut pleriq, efficiantur scrupulosi, i.

terum

terum atq; iterum eadem confitentes: ita ut nunquam ad tranquillitatem aliquam possint venire. Nam de confessionibus suis omnibus diffidunt, dum circumstantiam aliquam, vel peccatum inveniunt neglectum, cujus in priori confessione non fecerunt mentionem: unde & ad confitendum denuò compelluntur. Hi semel generali confessione factâ; debent hanc inquietudinem irrationabilem postponere. Necessè omnino est, ut alicujus Spiritualis & discreti Patris vel cõfessoris consilium sine aliqua hæsitatione humilitèr sequantur, eiq; sicut Deo obediant; proprium Iudicium, prudentiam, sensum atq; etiam propriam erroneam conscientiam relinquentes. Non enim hoc desiderat Deùs, neque placet illi, ut tu verseris semper in sordibus, & inquineris assiduè reuolvendo peccata tua. Deo ergo te securè permitte, ubi semèl cum omni diligentia conatum adhibueris, ad confitendum singula peccata tua.

Exerci-

Exercitium tuum sit, benè de Deo sentire, & credere quòd nolit te condemnare: quia revera quemlibet se corrigere volentem, & non desperantèm damnare non vult. Sufficit tibi quòd peccasse doleas, quod peccare deinceps nolis. Iam in statu es salutis, quid trepidas? Quando tamen aliquod peccatum mortale certum ad memoriam redit, ante non confessum, tu illud cum omni tranquillitate confitere. *In Consol: Pusill. Lansterg. In interna allec. Christi ad animam pænitentem.*

SOMNIA.

Impura, fœda, obscæna, non sunt peccaminosa.

SI dormiens, miseram illam colluviem, aut aliquid minus honestum passus fueris: ne collabaris animo. Neq; enim tibi imputabitur, modo evigilans & rationis compos factus, illud quòd sordidum est abomineris. Tibi unquam non imputabitur

tur quauntumvis, per impuritatem vitæ prioris occasionem eorum, quæ nunc pateris, videaris dedisse. Iam autem præteritorum peccatorum sarcinam per salutiferam confessionem deposuisti: jam te pænituit anteactæ conversationis, & eam corrigere studes. Igitur nihil istiùsmodi te à stabilitate sanctæ fiduciæ præcipitet. *In Canone vitæ Spirit: cap. 5.*

Item.

De somnijs nihil metuas, quidquid ibi egeris quidquid passus fueris dormiens: si ante & post somnum (quando rationis compos es) tibi displicet, nequaquam venit tibi imputandum. Licet per malè actam vitam atq; conversationem priorem tibi occasionem dederis. Iam tamen, quia illius conversationis te verè pænituit, & meliùs vivere studes, non eris reus eorum, quæ pateris: si modo voluntas non consentiat. *In Consol: Pusill: Lansperg. In Interna allocutione Christi ad animam peccatricem:*

Item.

Item.

Si inter dormiendum quando ratio ligata est passus fueris carnale aliquod somnium: vel pollutionem: id animæ tuæ non oberit, nisi ipsi evigilanti, & ratione ac voluntate libere utenti placeat. *In Dictis Patrum cap. 85.*

Somnijs non credendum.

SOmnijs & visionibus non incautè fidem adhibeas. Nam Diabolus facile decipit eos, qui talibus innituntur, & ea expetunt magniq; faciunt. *In Instit: Spirit: cap: cap: 8.*

E somno evigilanti quid faciendum.

POst somnum surgendo, debes te Crucis signo munire, Deoq; commendare: debes desiderare ac petere: ut quidquid illo die facturus, dicturus, & cogitaturus sis, cedat ad æternam Dei laudem & gloriam. *In Monil Spirit: cap. 9.*

Item.

Mane ut è somno excitatus fueris, tuam

tuam primam cogitationem, tuam intentionem, sensusq; tuos ad Deum, cum amore & gaudio convertere, cosvescas: ut Divinæ visitationis atq; gratiæ capax efficiaris. *In Instit: spirit: cap: 8.*

TENTATIO.

Cur Deus suos tentari permittit.

PErmittit nonnunquam Deus ut fideles sibi, atq; amici sui, desperatione, vel alijs horrendis planèq; infernalibus tentationibus, pulsentur: ac longo divexentur tempore: sed hoc ex ingenti erga eos amore facit. protegens interim illos ac sustentans, ne deficiant. *In Specul. Spirit. cap. 1.*

Tentare nos supra vires nostras non permittit Deus.

DEus conscius infirmitatis humanæ diligentissime moderatur tentationes Electis suis occurrentes, ne magis ingravescant quàm illi ferre possint:

sint: quemadmodum amantissima aliqua Mater nudans infantem suum ad ignem, inter ipsum infantem & ignẽ manum sedulo continet, ne ille nimio calore lædatur. *In Instit: Spirit: cap. 8.*

Item.

Deus ex immensa dilectione sua dat & donat electis suis afflictiones: semper tamen humanæ naturæ fragilitatem attendit, cui ex amore & justitia, nihil supra vires sibi bene perspectas imponere potest. *In Append. Explicationis Paßionis Dominicæ.*

Homo omni ætate, in omni loco tentationi expositus.

NOnnulli in initio conversionis suæ: alij in uitæ medio: atq; alij in senectute gravius tentari permittuntur. Hinc Mater Dei S. Birgittæ ait: Tu miraris, cur in senectute tentationes tibi accrescunt, & eas modo sentias, quas nec in juventute, nec in conjugio experta es. Hoc ideo fit, ut cognoscas te nihil esse, & nihil posse

sine

ſſine Filio meo. Niſi enim ille te ſervaſſet, non eſt aliquod peccatum tam gravè, quod non commiſiſſes.

Vnde S. Catharina Senenſis Dei permiſſione, pluribus diebus acerrimè divexata fuit carnalibus tentationib9. Nam maligni Spiritus eam, non ſolum per obſcœnarum cogitationum immiſſiones, ſomniorum illuſiones, ſed etiam per manifeſtas apparitiones ſe ſe oculis & auribus ejus ingerebant. Effingebant imagines virorum & mulierum in conſpectu ejus ſe mutuo turpiſſime amplexantium, illamq; geſtibus, verbis, & actibus valde inhoneſtis, provocantium ad libidinem & luxuriam. Ad hunc modum caſtiſſima Virgo cogebatur audire atq; videre id, quod maximè horrebat: & licet oculos clauderet, nihilominus perdurabant ſpurciſſimæ & abominãdæ illæ imagines. *In Monil. Spirit. c 4.*

Tentationibus tempeſtivè obviandũ.

ADverſùs eas tentationes, quibus Diabolus mentem ad indecentia

& vi-

& vitiosa inclinare nititur, etiam solertèr vigila: & ipsas statim in initio, priusquam interiora tua occupentur, reijcere satage. Nam nisi mox primo insultu adversarium repuleris, ingressus intro, repentè animam tuam vinculis injectis colligabit: & tu deinceps libertate viribusq; destitutus, ægrius resistes, verum tamen & si negligentèr egeris, & ille vincula injecerit; ne sic quidem dedas te: sed reclama, & vel reptando super terram, renitere. *In Speculo Monachorum.*

Tentatori contra fidem quomodo resistendum.

SI inepta aliqua insusurraverit, de Prædestinatione; aut de alijs Sanctissimæ Trinitatis consilijs, atq; judicijs, quæ à nobis perquirri non debent. Tu spretis & consputis canis impuri latratibus, converte te ad Deũ, & ejus dispensationi, ac pietati omnia committe: prorsus persvasum habeas illum tuæ salutis esse desideratissimum. *In Canone vitæ Spirit. cap. 5.*

In

In tentationibus carnis quid agendum.

QVando pravam aliquâm tentatíonem, aut fœdam imaginem, vel ineptam lætitiam, in cor tuum illapsum esse, & impurum affectum suboriri sentis: erubesce, & simplicitèr, celeriterq́; inde te averte: reflectens mentis oculum ad Deum, aut ad alia minimè noxia: vel etiam signum Sanctæ Salutiferæq́; Crucis tibi imprimens. *In Specul. Spirit. cap. S.*

Item.

Ipsum Satanam impia vel fœda suggerentem contemne. Oppone Salutiferum Dominicæ Crucis signum: & cogitationem tuam á pestilenti suggestione avertens, pium aliquid apud te pertracta, vel dic.

Obmutesce os impudens: abi scelestе cum tua impietate, tuaq; spurcitia: ego te non audio, nihil mihi tecum infelix. Deo quoq; dicito. Domine adjuva me: ego enim malem millies

mortem

mortem subire, quàm te offenso, tuâq; gratiâ perditâ, malè vivere. *In Canon. vitæ Spirit. cap. 5.*

Item.

Quando aliquis impijs in Deum ac Divina blasphemijs aut alijs indignis suggestionibus intus pulsatùr: sæpè melius vincet, si illas negligendo atq; contemnendo mox signo Crucis edito, cogitationem suam ad Vulnera Christi, sive ad alia Sancta & convenientia trastulerit: quam si multis rationibus, cum talibus contendere, disceptareq; voluerit. *In Enchirid, Parv: In Corollar. Append.*

Tentationes vincendi modus.

SI Sanctissimam Vitam, Passionem, & mortem Domini Iesu, in memoria nostra cum amore gestaverimus? facilè carnem & sangvinem, mundum Diabolum, ejusq; tentationes vincemus. *In Dictis Patrum cap. 18.*

Item.

Scito adversarium tuum, dum fæda,

da, impia & absurda quæq; ingerit: sæpè felicius vinces, si contempseris, & nihil feceris ejus latratus: sicque pertransieris, quã si cum eo diutius disceptare & iniquum os magno labore obturare paraveris. Dum tamen nimium importunus est, & semel ac denuò repulsus, iterum, atq; iterum insilit? omnino conserendæ sunt manꝰ: ut vel certamine superatus aufugiat cum opprobrio. *In Specul: Monach.*

Item.

Blasphemias, fædas, horrendasq; & infernales tentationes quas consvevit Diabolus suggerere, non pluris facias, quàm muscas circa se volitantes: mox avertas te ab illis. Si vehementius importuniusque infestant? signo Crucis edito, invoces Deum & dicas. Domine conserva me immaculatũ coram te, ego malim mori millies, quàm huic iniquitati, huic pessimæ suggestioni consentire. *In Instit. Spirit: cap. 8.*

Item.

Mirè etiam valet Salutatio Angelica, piè lecta, & Sanctorum invocatio: metus item & horror amittendi gratiam Dei: diligens quoq; cōsideratio, quidnam sit separari à Deo, & cunctis amicis ejus: atq; cum Diabolo æternis supplicijs in inferno affici. *In Spec. Spirit. cap. 1.*

Tentationes præmium augent.

CArnis irritamenta, & vitiorum insultus, quibus impetiti sedulo renitentur, virtutem non adimunt, sed perornant, meritum adaugent. *In Canone Spirit. cap. 33.*

Tentationes, Martyres faciunt.

PLeriq; admodum pij homines, tentationibus hujusmodi ita divexantur, ut nec unquam unam orationem Dominicam, vel Salutationem Angelicam, absq; Diabolicis susurrijs explere possint. Isti incredibilibus angustijs pressi, se quidem multorum criminum reos esse putant: sed corā Deo Martyres sunt præclari propter

illas

illas pressuras & afflictiones. *In Spec. Spirit. cap. 6.*

Tentationes, quibus non consentimus non confitenda quia peccata non sunt.

PEccata qui perpetravit, confiteri Sacerdoti debet: sed tentationes quibus non consentit, non sunt peccata admissa. Aliud est enim sentire in se malum; atq; aliud consentire malo. *In Brevi Regula Tyronis Spiritualis.*

Item.

Etiamsi sentires gravissimos vitiorum motus, sed ijs non consentires. etiam immundissimæ imagines, vel inauditæ adversùs Deum & Sanctos ejus Blasphemiæ se se cordi tuo contra voluntatem tuam assiduè ingererent: non contaminarent, sed repurgarent animam tuam, eiq; admirandas coronas in cælo pararent. *In Specul. Spirit. cap. 6.*

Item.

Si quando Blasphemias aut execrã-

das cogitationes contra me Sanctosq; meos in cor tuum Diabolus immiserit, noli propterea perturbari aut nimium pusillanimis esse. Nam quamdiu consensum animo deliberato non præstas, magis talia pateris quàm agis. Cum hæc tibì tristitiam & afflictionẽ potius ingerant quàm delectationem, nullo modo formidanda sed nec Sacerdoti confitenda sunt. *In Consolat. Pusill. In interna alloc. Christi ad animam peccatricem, Lanspergius.*

Item.

Si te persequitur Diabolus: si suis sordibus Spiritum tuum affligit.: si ea quæ aliquando admisisti, jàm invitus tolerare cogeris: id te non perturbet, Quidquid præter voluntatem tuam sustines, non te perdet, neq; Deum tibi reddet offensum. Oportet enim esse peccatum voluntarium: quodsi voluntarium non est., etiam peccatũ non est. Resiste, renitere: voluntatem tuam à consensu serva liberam, & sine deinceps Diabolum atq; car-

nem

nem furere. *In Canone vitæ Spirit. c. 5.*

Item.

Si aliquis pruritus illecebrarum carnem titillaverit, repugna ratione. Felix omnino esses, si motus indecentes non sentires: sed & felix eris etiam si senseris, modo non consentias. *In Canone vitæ Spirit: cap: 30.*

Consolatio animæ tentatæ.

PErmittit Deus te illa (ut supra) sentire: eaq; tibi molesta esse: ut purgeris, non autem inquineris. Idcirco illa Diabolus excitat, ut dum his conaris restitere, retarderis & impediaris à gustu charitatis Dei, ac nimium consternatus non audeas accedere ad Deum Gaudet ille dum scrupulis & perturbationibus involveris, sed tu noli talia timere: noli ad ea respicere, noli respondere, noli repugnare, noli advertere: imovero quasi nihil senseris imperturbatus perge in tuis exercitijs: prætereundo & contemnẽdo hujusmodi incidentias, velut canum latratus, aut anserum sibilos.

Nam si reniti, disputare, discurrereq; volueris? tu illas magis semper tuæ memoriæ imprimes, grandiq; te perturbationi involves. *In Specul. Spirit. cap. 6.*

TRINITAS.

Trinitatis Mysterium ineffabile.

NOnnisi sobriè loquaris de Mysterio altissimæ TRINITATIS: quia tam impossibile est, ut homo illud explicet: quam impossibile est, ut homo in terra stans, cælum digito contingat. *In Specul. Spir. cap. 10.*

Non investigandum curiosè.

NE temerè investiges, neq; curiosè loquaris de Mysterijs altissimæ atq; incomprehensibilis Trinitatis; sed veram integramq; de uno Deo in tribus Personis fidem simplicitèr retineas.

Item.

Majestatem Summæ Divinitatis, atq; Trinitatis ultra, quam par est, investiga-

vestigare, & incomprehensibilia Dei Iudicia temerè discutere non præsumas, sed pia mente venerando ea quæ non intelligis; ipsum justum Dominum nihil injuste facere vel permittere, indubitantèr crede. *In Enchirid: Parvul. lib: 1. In Append: Documenti 1.*

Quomodo credendum de hoc Mysterio.

QVando mentem tuam subit adorandæ Trinitatis memoria: non fabrices tibi more Ethnicorum tres Deos: sed crede Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum esse unum Deum, qui est interna plenitudo essentiæ, vitæ; & omnimodæ perfectionis. Crede inquam tres increatas Personas esse, unam Deitatem, unam Substantiam, sive essentiam, creaturas omnes transcendentes. *In Speculo Spirit: c. 10.*

Sanctissima Trinitas quomodo est Pater noster & nos filij ejus.

PAter, & Filius, & Spiritus Sanctus, sive tota Trinitas, est Pater noster:

Nosq; si boni sumus, filij Dei sumus, non quidem per naturam sicut Deus, Dei Filius, sed per gratiam & adoptionem. *In Enchirid. Parvul lib: 2. c. 10.*

VITA HUMANA.

Vitæ austeritas, in quo consistit?

NOn debes pusillanimis effici, nec putare te remotum esse, à Deo propterea, quod forte nequis magnam vitæ austeritatem præstare; vel quod ad eam sectandam, minime sentis te intus trahi atq; compelli. Neq; enim in illa consistit vera perfectio, veraque sanctitas: sed consistit in propriæ voluntatis ac vitiorum mortificatione, consistit in vera humilitate, atq; charitate. *In Speculo Spirit: cap: 7.*

Item.

Non legimus B. V. Mariam Dei genitricem, tam rigidam duxisse vitam, quam rigidam duxit Vidua Iudith.

Et ta-

Et tamen longe perfectior fuit, quam ipsa Iudith. Aliam vivendi rationẽ Beatus Ioannes Baptista secutus est: atq́; aliam S. Ioannes Evangelista: & tamen quia uterq́; humilis erat, ac Deum proximumq́; verè diligebat: uterque Deo maxime placuit. *In Speculo Spirit: cap: 7.*

Item.

Cilicium, durities lecti, esus panis, potus aquæ, flagellatio corporis, ac similia pro Dei honore pure peracta: ipsi quidem Domino placent. Verum tamen verus Dei amor hominem multo viciniùs Deo conjungit, & carnis petulantiam citius efficatiusq́; compescit ac superat. *In Instit. Spirit c. 2.*

Vitæ austeritas commutanda in aliud opus bonum.

PRo vitæ austeritate, quæ tibi deest: potes offerre Deo Patri jejunia, vigilias, tribulationes, & acerbissimã Passionem Christi. *In Specul. Spiritual: cap. 5.*

Item.

Non hi duntaxat ad Deum perveniunt, qui vel diu sanctè vixerunt, vel magnam vitæ austeritatem præstiterunt: sed quicunq; cor contritum & humiliatum exhibent, ab ipso clementèr respiciuntur suscipiunturq; , quantumvis etiam modico tempore bene vixerint. *In Canone vitæ Spirit: c. 37.*

Vitæ, emendatio non differenda.

COnsultissimum est, non in longum proferre correctionem vitæ; sed protinus ad vocem invitantis Domini exuere veterem hominem cum factis suis & concupiscentijs: ne toties non auditus Dominus, vicissim non audiat nos clamantes ad ipsum. *In Consol: Pusill. In præclar: Dictu de misericordia Dei.*

Item.

Quamvis Deus promittat peccatori verè pænitenti misericordiam, non tamen promittit in peccatis perseveranti veram pænitentiam nec longam vitam. *In Monil: Spir. c. 4:*

Item.

Item.

Quamdiu durat vita hæc, spes est misericordiæ. Ergo dùm vivis implora Domini misericordiam, & corrige te. *In Consol: Parvul. In Dictis præclaris.*

Vitæ diuturnitas non optanda.

SI quis diutius cupiat vivere, ut plura sibi possit coacervare merita: id quidem valde incertum est, utrum merita vel potius debita sibi cumulaturus sit. Plerumq; cum ætate etiam peccata augentur: multóq; plures invenias, qui deteriores, quàm qui meliores fiant. *In Consolat: Pusill, Henricus Suso.*

Vitæ humanæ etiam minus perfectæ Hominis, solatium.

QVid turbaris ô homo bonæ voluntatis, atq; animo deijceris, quod virtutes perfectè pro voto tuo absq; omni defectu & impedimento tempore hujus exilij exequi nequeas: sed quotidie, vel etiam continuè invitus & contra voluntatem tuam in im-

perfecti-

perfectiones labaris. Nam & excellentissimi Apostoli, cæteriq́; Sancti & amici Dei, ipsas quidem omnes virtutes volebant atq; appetebant seu desiderabant: sed in ista vita sine aliqua imperfectione præstare non poterant. Vnde & dicebant: In multis offendimus omnes. *Iacob: 3.* *In Consol: Parvull. Quidam Dei amicus.*

VOLUNTAS HUMANA.

Voluntas humana in libertate consistit.

LIbertas voluntatis est in hominis arbitrio sita; adeò ut si quis etiam multis jam annis ob sua crimina damnationi adjudicatus esset: posset tamen per liberam voluntatem avertendo se à peccatis, & ad Deum justitiamq́; convertendo, redire ab illa damnationis sententia, ad felicitatem æternam. Vnde S. August: dixit. Novit

vit Deũs mutare ſententiam, ſi tu noveris mutare delictum. *In Conſolatione Puſillan.*

Voluntas humana bona quæ dici debeat.

SI ſemper Deo placere verè deſideras, & omne peccatum, quantum in te eſt, fugis, & omne tempus fructuoſe tranſigis: ſi deniq; honorem, laudem, & gloriam Dei in omnibus purè ſpectas & quæris: ſemper Deum laudas & oras. Iſta eſt bonæ voluntatis plenitudo. *In Farrag: Inſtitut.*

Voluntas Deiformis Quæ?

VOluntas Deiformis, ſeu Deificâ eſt; quâ quidquid volumus, purè ad Dei gloriam volumus. *In Dictu Patrum cap: 20. Rusbrochius:*

Voluntas humana, Voluntati Divinæ conformanda.

ETiamſi, jam jam tibi ex hac vita migrandum eſſet, & pulchritudo Divinæ juſtitiæ exigeret, ut poſt mortem longo tempore in purgatorio detineris:

tinereris: tu in hoc quoq; voluntatem & dispositionem Dei, libenter pro honore Dei amoreq; ipsius amplecti deberes. *In Tabella Spirituali.*

Voluntas Divina, voluntati humanæ præferenda.

QVando metu pœnæ, aut amore virtutis, gloriæve cælestis movemur ad agendum boni quidpiam: bonum quidem hoc est, non tamen est perfectum. Quum Voluntas Dei infinite præstantior sit, quàm nostra: par est, ut illa magis nos moveat, quàm nostra propria. *In Appendice utili Tabellæ Spiritualis.*

Voluntas bona obnixe à Deo petenda,

NOn contristeris, si Deus in hac vita te minimè provehit ad sublimem contemplationis gradum: sed roga eum instantèr, ut det tibi bonam, humilem, resignantemq; voluntatem. *In Sermiolo Spirituali cap. 70.*

Volun-

Voluntatem bonam Deus acceptat pro facto.

SCito & memoriæ commenda pro consolatione: quod quam diû verè cupis & conaris benè agere ac placere Deo: & voluntatem tuam ab eo non avertis, sæpiusq; doles atq; ingemiscis propter imperfectionem tuam, multiplicesq; defectus tuos: ipse Deus haud dubie pro ineffabili bonitate & charitate sua reputat exercitia atq; opera tua, digna æterna remuneratione. *In Farrag. Institut.*

Item.

Si pauper magna Deo offerre nequit, libentèr offerat vel parva, bonam promptamq; voluntatem exhibens, & pium desiderium potiora offerendi habens. Nam habere, aut etiam velle habere hujusmodi sanctũ desiderium, res est non parva, sed eximie, magnifice coronanda à Domino, qui bonam voluntatem pro opere, vel operis perfectione suscipit, quan-

do

do opus siue perfectio operis præstari non potest, quiq; gemitum etiam minimum pro bono Spirituali pie emissum, grandi mercede donat. *In Enchir: Parvul: In Append. Documenti 3tij.*

Item.

Dum boni quidquam facere ex animo desideras, & non vales, Deus bonam voluntatem tuam pro opere suscipit, *In Speculo Spirit, cap: 7.*

Item.

Quando vis quidem & desideras aliquid boni perficere, sed non potes? istiusmodi sancta voluntas, tanquam ipsum opus à Deo suscipitur: si verò operari potes, & non operaris; jam nec voluntatem quidem operandi habes. *In Canone Spirit. cap. 33.*

Voluntatis propriæ abnegatio, quanti sit meriti coram Deo.

QVi relictâ propriâ voluntate facit humilitèr ad honorem Dei, voluntatem alterius in re licita, magis Deo placet, quàm si multo tempore

corpusculum suum pane & aquâ tantum sustentaret, asperisq; flagellis cruciaret ex voluntete propria. *In Coroll: Tabellæ Spirit.*

Voluntas propria sola infernum constituit.

SIcut Deus nihil à nobis æquè exigit, ut propriæ voluntatis resignationem, mortificationemq; ita nihil in nobis magis odit, quàm ipsam propriam voluntatem, quæ sola infernum constituit. Si enim propria voluntas non esset? etiam infernus non esset. *In Coroll: Tabell: Spirit.*

Item.

Quotquot in inferno flammis inextinguibilibus cruciantur, propria voluntate pleni, & Sanctæ Dei voluntati contrarij sunt: at in Cælo omnes Beati Divinæ voluntati perfectissimè dulcissimèq; sunt uniti, omnes sunt una vita cum Deo, & unum cum voluntate Dei. *Ibid: ut supra.*

Item.

Apud inferos, si quis propriæ mor-

tuus esset voluntati, in liberrimam voluntatem Dei? is utiq; non arderet. Et in cælis si quis propriæ esset voluntatis contra voluntatem Dei, is certè non beatus, sed miser & infelix foret. *In Coroll: Tabell. Spiritual.*

Item.

Sola propria & mala voluntás (quæ omnium peccatorum fundum est) infernum constituit: tolle illam & infernus non erit. *In Monil. Spirit. cap. 7.*

Dogmata CHRISTI nũ: 27.

In interna allocutione, ad animam pænitentem, & melius vivere cupientem.

Ex scriptis Ioan: Lanspergij Carthusiani. Blosius in Consolatione Pusillanimium posuit.

TV Filia, omnem inordinatum amorem, reijce, & mihi toto corde placere desiderans, stude esse Sancta, quoniam ego Sanctus sum. *1mo.* Nullum peccatum, quantumvis

vis etiam leve & exiguum, animo deliberato admittas.

2. Fuge peccati occasiones, quantùm potes.

3. A superflua hominum familiaritate, superfluisq; colloquijs: & ab inutibilibus otiosisque occupationibus prudentèr te abstrahe. Solitudini & silentio vacans: tempus quoq; utilitèr ad honorem meum expendens.

4. Devotè exercere in vita & Passione mea, planta floridam arborem crucis meæ in corde tuo.

5. Ad me Crucifixum Sponsum & Deum tuum frequentèr aspira per crebra verba, vel desideria amoris.

6. Ambula coram me cum sancto timore & reverentia, credens me ubique præsentem esse, teq; incessantèr intueri.

7. Sensus tuos: & linguam tuam diligentèr refrena atq; custodi.

8. Si multiloquium amas? non poteris proficere.

9. Sobrietatem & continentiam rationabilem amplectere.

10. Vanitatem & pompam superbiæ devita.

11. Sensualia oblectamenta & illicitas voluptates non sectaeris: sed, quantum tibi possibile est, serva te ipsam immaculatam.

12. Viriliter certa adversus vitia & ora me attentè, ut pravas passiones, atq; inclinationes tuas vincere & frangere possis.

13. Nihil horum, quæ bene facis, tibi adscribas, nec aliquid de bonis meis usurpes: quia ex te ipsa nihil habes, nisi peccatum quod prope tuum est.

14. Non cupias vanè alicui mortali homini placere.

15. Opra nesciri, potius quàm cognosci, & contemni magis, quàm laudari.

16. Non aliquid te esse existimes, nec opera seu exercitia tua apud te magni pendas: sed omnium ingratissimam te, & vilissimam esse reputa sine fictione.

17. Deprime & humilia te infra omnem creaturam propter me.

18. Omnes homines etiam omnes qui te persequuntur, sincerâ charitate dilige, & omnium salutem desidera.

19. Nullum despicias.

20. De nullius salute desperés.

21. Nemini detrahas.

22. Neminem judices.

23. Si quid in alijs vides: & quæ de aliorum statu audis, interpretare in meliorem partem.

24. Propriam voluntatem omni studio in te mortifica: & meam voluntatem singularitèr ama.

25. Mei amore libentèr & promptè obedi hominibus in his quæ licita sunt.

26. Relinque proprium sensum, & abnega temetipsam in omnibus.

27. Securè committe, & crede te providentiæ meæ, & spera in me firmissimè in omni tentatione, periculo, ac necessitate: quia mihi cura est de

te,

te, qui tibi tam diligentèr intendo, quasi tu sola esses in toto mundo.

PROTESTATIO.

Ante mortem facienda.

EGo peccator indignissimus, redemptus pretiosissimo Sanguine Domini IESU Christi, profiteor palàm, me sincero corde ignoscere omnibus, qui quovis modo mihi injuriam vel molestiam aliquam unquam intulerunt: & humilitèr rogo, tàm præsentes, quàm abseñtes omnes, ut mihi vicissim ignoscant, & dimittant, si in aliquo eos offendi.

Agnosco me hactenùs non vixisse purè nec sanctè coram Domino sicut vivere debueram: agnosco scelera mea multa nimis: agnosco culpas meas, & negligentias meas infinitas: agnosco, quidquid mali per vitam meam commisi, & supplici mente à misericordissimo Domino Deo nostro veniam peto: dolens quod unquam

eum

eum offenderim, & proponens deinceps vitare peccata. Quamvis autem graviter & multis modis hactenus deliquerim, non tamen diffido de omnipotenti & benignissima misericordia ejus Redemptoris mei: sed spero me per merita Passionis & mortis ejus, non autem per merita mea participem futurum æternæ vitæ, atq; hæreditatis. Ego ipsam Passionem ejus Sacratissimam pro refugio, monimentoque firmissimo habeo: ego eam inimicis meis invisibilibus semper & ubiq; tanquam armaturam inexpugnabilem objicio: eam Sanctissimæ Trinitati, pro meritis quæ mihi desunt, & pro perfecta satisfactione de peccatis meis, offero.

Credo in Deum Patrem Omnipotentem, creatorem cæli & terræ, & in IESUM Christum Filium ejus Unicum, &c. *dicatur usq; ad finem. Amen.*

Protestor coram ipso Omnipotenti Deo, & coram tota curia cælesti me cupere & velle, in ea fide vitam hanc

finire,

finire, in qua convenit obedientem Sanctæ Matris Ecclesiæ filium mori.

Protestor me credere universa, quæ ipsa fides Catholica continet, & quæ à veris orthodoxisq; Christi fidelibus credenda sunt. Quodsi vel impugnatione Diaboli, vel violentiâ morbi pressus, aliquid huic proposito contrarium cogitarem, loquerer, aut facerem? jam illud revoco, & contestor, me nullo modo consentire talibus cogitationibus, verbis, & operibus.

Gaudeo & gratias ago misericordissimo Creatori & Salvatori meo, cujus ineffabili pietate me in Sancta fide Christiana moriturum confido. In manus ejus Sanctissimas, animam & corpus meum, nunc, & in hora mortis meæ commendo *In Enchiridio Parvuli: lib: 2. cap. 2.*

Pagina 18. Versu 24. diection, *lege*, dilectioni. Pag: 22, v. 20. onim *lege* enim. pag: 23. v. 18. sicut. *lege* licet. pag: 33. v. 12. contempletur. *l.* contemplemur. pag: 44 v. 18. tam, *lege* iam. Pag: 48. v. 15. contrito, *l.* contritio. pag: 49. v. 3. posse, *lege* esse. pag: 60. v. 11. specula. *lege* speculo. pag: 62. v. 22. inceperit, *l.* inceperis. Ibidem v. 20. attingit, *l.* angit. pag: 76, v. 14. faucte, *l.* sancte. pag: 103. v. 15. docerpit, *l.* decerpit. Ibid: v. 12. dtligis, *l.* diligis. pag: 106. v. 15. uon, *l.* non. pag: 108. v. 10. uluribꝰ, *l.* vulneribus. pag: 109. v. 3. uænos, *l.* næuos. Ibid: v. 10. iofudit, *l* infudit pag: 120. v. 17. firmiter, *lege* firmiter. Ibid: v. 19. falutis *l* salutis. pg: 132. v. 7. illuminari, *lege* illluminati. pag: 133. v. 10. accersitet, *l.* accersiret. Ib. v. 20. radiuntrssima, *l.* radiantissima. pag: 142. v. 8. preficienda, *l.* perficiendaq;. pag: 148. v. 3. Inde, *l.* fide. pag: 161. v. 12, usa, *l.* fusa. pag: 180.

v. 3. pemitu, *l.* gemitu. pag: 215. v. 6. ipſum, *l.* ipſam. pag: 159. v. 23. corouet, *l.* coronet.

16